Epiſtola
DE MORIBVS
AC
INSTITVTIS
TURCARUM,
Cui annectitur brevis

CONSTANTINOPOLEOS

NOTITIA.

Authore Tho. Smith *Coll. D. Mariæ Magdalenæ Oxon. Socio.*



OXONII,

Excudebat H.H. *Academiæ Typographus,*
Impenſis Ric. Davis. M. DC. LXXIV.

Insignißimo & Præstantis-
simo viro,
D. JOSEPHO WILLIAMSONO
EQUITI AURATO,
Serenissimi Britanniarum
Regis apud Coloniam Agrip-
pinensem Legato.



Index vocabulorum *Turcicorum* & *Arabicorum.*

ات ميدان *At midân,* 117.

اخور قاپوسي *Achor capisi.* 85.

ادرنه *Edriane.* 86.

استنبول *Istanpol.* 77.

اسكي سراي *Eski Serai.* 90.

اسلام *Islâm.*

اسلام بول *Islam boul* 77.

افيون *Ofiun.* 38.

ا *Egri.* 86.

Ingil. 61.

اوده ر *Odaler* 114.

اودون *Odun.* 88.

Orta

INDEX.

اورته خامع *Orta giameh.* 115

ون اقپان *Unkapan.* 88.

آيا صوفيه *Aia Sophia.* 87.

ايوانساري *Ivanseri.* 86.

ايوب سلطان *Ejub Sultan.* 113

پادشاه سراي *Padishah Serai* 8.

باغچه *Batchia.* 88.

بال قپان *Balkapani* 88.

بالق بازار *Baluk bazar.* 88.

پتري *Petri.* 87.

بزاستان *Bezesten.* 96.

بزه *Bozzah.* 37.

بستانجي باشي *Bostangi bashi.* 124

پکمز *Pechmez* 37

بلاط *Balat.* 87.

بك *Bei*

بوغاز حصارى *Bogas hisar, propriè gutture* 71.

Giameler:

DE MORIBUS AC INSTITUTIS TURCARUM EPISTOLA.



N edendis illis epiſtolis, quas rogatu Tuo, *Vir Inſigniſſime*, exarabam, cum parum ſubſidii in meam excuſationem ab induſtriâ, quâ pro viribus uſus ſim, mihi reliquum foret derivandúmque videretur, honeſtum illud & homine ingenuo dignum mentis haud ingratæ erga *Te* propoſitum, quod unicè volebam, rudi licet & ineleganti prorſus ſtylo expreſſum; me tergiverſantem animíque planè dubium, ut id auderem, exſtimulavit. Hoc augurium & ſpem, quam inde conceperam, non deſtituit eventus. Reſcribis enim, quod pro innato candore *Tuo*, quod pro amore literarum, quod denique pro ingenti affectu Tuo, quem tot annorum ſpatio neutiquam imminutum ſentio, nimirum facis, *Tibi* hoc

quale quale ſtudium nonnihil placuiſſe. Nec obſcurè patet aliorum, qui conatus non minoris æſtimant quam rem confectam, gratiam & benevolentiam novitate ſuâ conciliaſſe; unde tantum abeſt, ut damnem, ut potiùs mihi hanc temeritatem gratulari officii mei eſſe penè ducam. Interim juvit me in portu fortaſſe plus æquo ſecurum in ſyrtes & ſcopulos inſanoſque fluctus retroſpicere, nec mihi aliud magis in animo erat, quam de tuto receptu, obſcuro licet, in futurùm proſpicere: cum ecce ad novos accerſitus labores, in altum & infidum mare revehi, iterumque cum ventis luctari cogor. Quod cum pro authoritate Tuâ, quam in me habes, jubere poſſis, idem pro humanitate Tuâ, cui nihil opponere nec poſſim nec debeam, exoratum velis. Si ideo res malè ceſſerint, ſi obſequium hoc debitum in errores traxerint, ſi ab hoc auſu excidero, non mihi vitio vertendum erit, ſed potius vices meas dolebunt omnes, qui, dum *Tibi, Tan-*

to

to Viro; cujus laudibus efferendis longè impar videtur fama, placere, dum aliòs demereri cupiam, jacturam famæ tam libenter passurus sim.

Quam dirissimis vicissitudinibus humana vita sit obnoxia, quantisq; malis distrahi & penè invita protendi possit; nullibi magis quam in *Turcarum* ditionibus apparere ex flebili Captivorum; quibus hæc infelix sors obtigerit, statu, cuivis facilè constabit. Quid enim miserius vel fingi possit; quid in universâ malorum; quibus intercludimur, serie & circumplexu magis dolendum ac tristius videbitur; quam in acerbissimam servitutem abripi; ac hostium barbarorum protervia subesse? Parum metuo, ne hæc animi teneritudo; quâ a natura afficior, mihi objiciatur; si dixero, id mihi quam maximè doluisse; quando præsens adessem; nec quisquam, quantumvis forti animo, spectaculo adeò tristi ac horrido, nisi cor planè obduruisset, absque gemitibus interesse sustinuerit. Non alia certè merx

magis in usu est apud ipsos, quam *Christianorum*, quibus a *Tataris*, incursionibus & bello, raptis, onustæ naves tempore æstivo, quo in *mari Euxino*, ipsis artis nauticæ non admodum gnaris, alias adeo exitiali, tuto navigandũ esse videtur, quod *Kara Denizi* i. e. *mare nigrum* nuncupant, *Constantinopolim* frequentes appellunt. Hæc urbs celeberrimum est mancipiorum emporium, ubi cito & pluris veneunt. Huc etiam ab extremis Imperii provinciis per terram beneficio *Caravanarum* deferuntur. *Tataros* autem, quibus felicior aut magis opima præda vix contigit, dum singuli rem suam adaugent, privatisque commodis inhiant, non minus hac ex parte publico inservire vel obtusioribus *Turcis* manifestum est. Hinc *Christianorum* vires, tot millibus subinde raptis, pessum ire; hinc novam ampliandi imperii spem adeo ingentibus incrementis & accessionibus succrescere læti augurantur. Pauci ex his patrios repetunt lares, at longe pauci-

oribus suppetit constantia fidem *Christianam*, quâ educati essent, retinendi, à quâ, vel minis territi, vel commodioris vitæ degendæ spe allecti; turpissimè deficiunt: in novos transeunt mores inque novam religionem,&patrii soli penitùs oblivisc●ntes, ex advenis fiunt glebæ *Turcicæ* adscriptitii. Forum, quo quolibet die *Mercurii* ante meridiem, ad instar tot equorum, vænum exponuntur, peculiare inde nomen habet *Yasir Basar*. Aream quadrangulam quinquaginta passuum occupat, quam ab omni latere circumcingunt cameræ,quibus asservantur. Quingentos *Mohammedi* immolandos simul prostare non sine horrore illic vidi. Pueri se modeste gerunt, & fœminæ aciculis suis artem & peritiam, si quam habent, ostentant, volentibus id dominis, ut majoris vendantur pretii. In his, uti in aliis mercibus, protrudendis, quo facilius emptorem alliciant, hoc quasi mangonio utentes, bene pastos & decoris vestibus or-

natos exponunt. Vix ferè quisquam est, nisi fortè qui extremâ laboret inopiâ, qui *Christianum* pecuniâ sibi non comparaverit. Horum operâ utuntur in quibuscunque vilissimis officiis subeundis. Hos elocant quandoque, exinde non parum emolumenti percipientes; summam in hos habent authoritatem, nisi quod in illos ultimo supplicio animadvertere interdictum sit. Quicquid miseri lucrantur, Dominorum est. Nihil in proprios usus reservatur, a quibus pro lucro deputandum, si obsonia parata, si vestes, si quicquid vitæ sustentandæ par & necessarium videtur, illis suppetant. Quâ in re sibi magis quam ipsis consulunt, nec hoc quicquid est curæ humanitati ullatenus adscribendum; utpote quorum eadem est de equis cæterisque animalibus cura ac solicitudo, ut bene valeant vigeantque, cum illorum ægritudo & mors ipsis in ingens detrimentum planè cessura essent.

Bassas cæterosque Principes viros, quibus

quibus tanta rerum copia contigit, fortunæ adeò prosperæ beneficio, dum licet, frui facilè arbitraberis, sibique in tantâ rerum, quam vident horrentque simul, incertitudine placere. Magnificè sane, pro genio gentis, sese efferunt: ædium tamen pompam non quærunt, nitori non student, si amplæ sint, si usibus familiæ, quam alunt, pares & accommodæ, abundè contenti: idem ferè ipsis cum plebe communis cibus, non condimentis cæterisque gulæ irritamentis student inhiantque. Longè alia est magnificentia *Bassarum*. Militiæ addicti tam in propriam, quam in *Provinciæ*, cui præsunt, securitatem de provisionibus bellicis ac de copiâ armorum sibi maximè esse curæ censent, uti de equis alendis generosæ prosapiæ, quam longâ serie deducunt. Præcipua vero ipsis gloria est famulos vel bello captos vel ære coemptos alere. Horum accuratissimus fit delectus, solis juvenibus proceris, fortibus, & pulchrâ

indole & specie in familiam admissis. Horum largo comitatu se maximè ostentant superbiuntque *Bassæ*. Quo spectaculo nescio quid jucundius aut gloriosius desiderari possit. Hinc e numero mancipiorum, quæ in censu bonorum reponuntur, dignitatis & opum amplitudo apud ipsos æstimatur.

Eâdem licentiâ in fœminis emercandis spurcissimus *Impostor* uti permisit, quas quisque libidinosus, prout rerum domesticarum rationes sinunt, accumulat; harum enim numerus non a lege sed a solo ipsius arbitrio dependet. Parum refert, cujus sint gentis, cujusve *Religionis*. In ipsas plenum jus disponendi ac iterum vendendi habent: quando harum tædet, in forum remittuntur, a novo domino possidendæ, ac ab alio ad alium quinquies aut sexies quandoq; transeunt.

Hâc ex parte *Judæorum* ingenium versipelle & astutum, quo quo modo, ubi lucri spes affulserit, sese inclinare

clinare facilè perſpexi, nec illos diteſcere remque ſuam augere vel ſub tyrannide *Turcicâ* mirandum eſt, qui tot opes congerendi artibus inſtructiſſimi id ſolum agunt eique unicè intendunt. Puellulas ſatis vili pretio a *Turcis* redemptum eunt, in quibus educandis multum ſtudii & laboris ab iiſdem impenditur: mores pro tenerâ ipſarum ætate ad libitum effingunt, de geſtu, loquelâ, totaque vitæ ratione ſoliciti: ne decedat pereatque pulchritudo malis cibis aut morbo, ſedulo cavetur: canere & choreis ſaltare docentur, ne alias artes, quæ ingenuas maximè dedecerent, memorem. Tandem cum ad juſtam ætatem pervenerint, tanti æſtimantur, ut laboris, quem inſumpſiſſent, pretium, a *Turcis* emptoribus facilè ferant. Hinc ex ædibus *Judæorum* in *Gynæceum Imperatoris* aut *Baſſarum* tranſeunt, (neque enim privatorum eſt ipſas comparare) quæ memores, quantâ benignitate ipſas proſequerentur *Judæi*, quo-

rum

rum alumnæ penè erant, & quorum curæ, licet proprium, non illarum, commodum respexerint, felix illa sors, ut ipsis videtur, accepta referri debet, mutua amoris & benevolentiæ officia rependunt, & de ipsis quavis occasione, quæ non rarò accidit, mereri impendiò student. Fœminis nulla propemodum elabendi via patet, in conclavibus occluduntur & semper domi manent, nisi fortè ad balneum, si ædibus suis desit, ire liceat, vel tempore æstivo in campis paululùm spatiari, aut in cymbâ in *Bosporo Thracico* vehi aut fretum trajicere indultum sit: sed ne solæ eant, (præcipuè si cujusquam viri divitis sint) comitem vel potiùs custodem habent *Eunuchum nigrum*, qui earum curam agit, ne quid ab ipsis fiat, quod zelotypo domino bilem aut suspicionem commoveat. Facile autem *Turcicis* moribus assuefiunt, nec rarò conditionem, omni patriæ, amicorum, ac religionis sensu exuto, sibi gratulantur, neque eam volunt im-

mutatam. Homines fortasse furor crudelium dominorum penè ad desperationem cogit, & mortem præ servitute petunt, dum vitâ chariorem libertatem habent, nec pericula curant, dum de patriâ repetendâ cogitant. Incassùm cedit plurimis hic conatus, in sylvis tantisperdum delitescunt, donec fames in publicas vias redire cogit. Palabundos *Turcæ* arripiunt in proprios usus, vel patronis restituendos curant, cum syngrapha libertatis recuperandæ illis non suppetat. Intercipiuntur, revocantur, longè graviora passuri; elapsum mancipium illico investigatum eunt; ad pontes, ubi necessario transeundum est, quasi excubias agunt, & alios de fugitivis retinendis monent. Memini quosdam *Turcas*, ponti fluminis *Caystri*, quod non alitèr trajiciendum esset ob aquarum profunditatem, assidentes, nos, quos ejusdem gentis & religionis cum ipsis opinarentur, rogasse, ut si forte fortuna in itinere quædam mancipia antevertisse contigerit

gerit, ea coram Judice proximo sistenda curaremus. Quandoque tamen (licet perrarò) etiamsi tanta ab avidissimis dominis, ne aufugiant, adhibeatur cura, sese ab ipsorum manibus surripiunt, & ope *Christianorum*, præsertim *occidentalium*, elabuntur.

Quanto cum periculo duo, quos noveram, effugerint, quamque insigni providentia libertatem demum nacti fuerint, brevissimè enarrabo. Puer gente *Russus*, duodecim circiter annorum, verberibus à domino male multatus, & ad tam diram servitutem, quam servivit, planè inhorrescens, arreptâ oportunitate vespere, domum evasit. Extra urbem pernix evolavit, nescius, quo evadendum esset; forte ad vicum *Christianis* incolis refertum uno milliari à *Pera* rectâ tendebat; huc illuc palat, tanquam peregrinus; vel illic manere aut progredi metuens paritèr. Quod animadvertens unus ex *Interpretibus* nostris, qui negotiorum causâ se illic tunc

temporis

temporis contulisset, qualisnam esset, sciscitatus est. Illicò *Christianum* se esse, & à crudeli Patrono aufugisse fatetur, ipsius opem & misericordiam obtestando obnixissimè. Promisit ille bonus vir, se aliquid pro libertate ejus ausurum. Ingravéscentibus tenebris, puerum secum ad ædes D. *Legati* tulit, & fugæ historiam narrat. Iste autem vestes *Christianas* induit; galericulo capiti imposito; alter a se videtur, & in numerum famulorum recipitur: postquam *Anglicè* loqui cœperit, securus plateas transiit, ne ipsi quidem Patrono suo, si occurrisset, cognoscendus, ac si nobiscum ex *Anglia* advenisset. Qui laxiori sunt in custodiâ, ope navium, quæ portus *Turcicos* appellunt, aliquando aufugiunt. Huic opportunitati *abesse* nolunt aliqui, licet periculum, quod subeundum est, quemlibet, nisi plane de vitâ desperantem, absterreret. Paucis diebus, antequam è sinu *Smyrnensi* solveremus, media ferè nocte flebilem vocem cujusdam in mari

mari audientes nautæ, ad latera navis citissimè accurrebant, tanto fletu & gemitu attoniti. Juvenem vident pene viribus confectum, fundum maris petiturum, ni suppetias tulissent. Navis nostra tum aberat a litore, spatio leucæ extra propugnaculum, & ab urbe quatuordecim: noctu elapsus, tacitus legebat litora, donec ventum esset ad locum oppositum (favebat audaci periculo tranquillum mare & nox illustris stellisque lucida) ut navem semper præ oculis haberet. Exteriori veste relicta, ne inter nandum impedimento esset, se aquæ commisit; lætus recipitur in navem, sed nescio an ipsius lætitia, an nautarum, qui ipsum penè in extremis fatiscentem sustulerant, maior esset: novis vestibus induitur; sed quo securiùs procedatur, in navem *Belgicam* bellicam mittendum curavimus, ne *Turcæ* naves nostras in orbem *Christianum* abituras exploratum venirent, & hoc prætextu, si apud nos illum reperissent, nobis & mercatoribus molesti-

am

am facesserent. Post quatriduum, cum nec ille nec nos amplius periclitaremur, juvenem, qui etiam genere *Russus* erat, repetimus, & in *Angliam* tandem perduximus.

Horum plerique, ut ut in se tristem ac duram servitutem subeunt, felices videntur præ cæteris, qui ad triremes damnati remis perpetuò incumbunt; sedibus suis catenis alligantur, cœlo pluvio & fulmine ac tonitribus gravido ipsis illic manendum est; nullum sub tabulatis refugium est, sola spes relinquitur, turbidum mare tandem desæviturum, & tempestates procellosas, vaporibus absumptis, exspiraturas esse. A necessitate, cui subesse tristi fato coguntur, patientiam sumunt. Quantum amorem vitæ, quale desiderium, quam ingens, quam acre ipsius prorogandæ singulis inseverit natura, hinc argumentum, quo vix aliud clarius reperiri poterit, sumendum erit. Quis enim labores non nisi cum vita exhauriendos sustinuerit? quis penè, dum fla-

gris

gris cæditur, ad desperationem non adigeretur? quis non vitam pro pœna, mortem poneret pro lucro? sed nec his mors adeò exoptanda videtur, catenis longè gravior est, ad nomen ipsius pallent ac exhorrescunt; ad vitam non minus quàm ad libertatem anhelantes. Quotquot infelici sorte belli capti sunt, mancipia *Imperatoris* fiunt; in triremes detruduntur, nullo pretio, nullâ prece redimendi, nisi fortè quando legatus aliquis *Christianus*, post initum cum ipsis pacis & amicitiæ fœdus, potentèr intercedit; nec hujusmodi intercessio semper valet, ni in partem fœderis venit. Indecorum arbitrantur ipsos pecuniis numeratis dimittere; ex horum lutris fiscus *Imperatoris* vix ditior futurus esset, & præ fastu respuunt quicquid nummorum oblatum est. Consenescendum est in triremibus & ergastulis, nisi in alto mari a *Meletensibus*, prœlio commisso, eripiantur, aut inexpectato casu triremibus ac navibus in terram subductis; quod rarissimè.

rarissimè contingit, ope *Christianorum* aufugiant. Ampla area est trans *Constantinopolim*, quâ sæviente hieme occluduntur. *Turcæ* præ foribus excubias agunt, altis muris munitur carcer. Nec tamen se satis cavisse de illorum custodiâ credunt, compedibus in ipsos conjectis, quæ cruciant & simul gravant inter incedendum: quorum quisque socium miseriæ sibi alligatum habet. Huc sæpe me contuli, prout officii ratio exigebat, conterraneos meos invisendi gratiâ, qui cuidam *Græco* piraticam in mari *Mediterraneo* exercenti, & *Turcas*, quos pessimè oderat, malè mulctanti operam suam elocantes, tandem ipsis in prædam cessere, tum ad ipsos monendum de religionis *Christianæ* officiis, ut vitam sobriè & piè instituant, ut captivitatem strenuè ferant, ut totam spem in *Christo Salvatore* reponant, ut denique animarum saluti consulentes fidem *Christi* ad mortem usque inter

Turcarum insultus & minas constantissimè retineant, tum ad inopiam illorum sublevandam vestibus, aliisque, quibus indigebant, ac pecuniis, quibus edulia emerent, datis. *Turcæ* enim panem atrum & aquam abundè ad vitam sustentandam sufficere arbitrantur, nec aliud quicquam, nisi perrarò, ab ipsis suppeditatum est. Hi sunt vilioris conditionis, nautæ ac milites gregarii.

Quotquot vel navarchæ vel in castris *Christianis* militantes ductores erant, in magnifico quodam carcere in extremo urbis *Constantipolitanæ* versus *Propontidem* angulo sito, qui *Jedi Kola*. i. e. *septem turrium*, a numero totidem turrium illic exstructarum dictus est, asservantur. Hos tanquam trophæa victoriarum ostentant, horum perpetua servitute se ob tot millium, qui in bello periêrunt, jacturam solantur. Horum *singulis* quindecim Asprosin diem *Imperator* pro regiâ suâ liberalitate impertit,

sed

sed cum sint plerique è nobili prosapiâ oriundi, amicis adjuti, habent quo benè vivant: non tamen tantillum illud pro victu quotidiano, quod ex ærario *Turcico* ipsis suppeditatur, cujus ferè trientem avidissimus *Præfectus* sibi depoſcit, spernendum est. Hunc quoque carcerem sæpissime conveni, a quibusdam *Nobilibus* bello *Cretico* & *Hungarico* captis, qui *Reformatam Religionem* a *Romanensium* corruptelis purgatam profitebantur, invitatus, ad ipsis divina mysteria communicandum. Facilè admissus eram, neminem repulerunt *Turcæ*, quo minùs colloquium inire ac conversari cum ipsis possent. Huc illuc cursitare licuit, modò non extra limites egrederentur, quos transilire penè nefas erat. Mutuis congressibus tam longæ servitutis tædium fefellerunt: etiam in horto, quem *Nobili Veneto*, viro fortissimo, elocaverat propugnaculi *Præfectus*, spatiari permissum erat. Nihil ipsis defuit, præter libertatem,

 cujus

cujus jacturam minus ægrè tulerunt; tantisper dum his vitæ commodis fruerentur. Custodia erat planè libera, & suam feritatem & sævitiem dedidicisse videbantur *Turcæ*, qui jure belli quidlibet, licet humanitatis juri planè adversum sit, ipsis licere autumant. Postquam verò *nobilis* quidam *Gallus* in numero *Equitum Melitensium* recensitus, ante biennium & quod excurrit evasisset, ferociores facti in cæteros infandâ barbarie & sævitiâ animadvertentes, his captivitatis delinimentis frui ampliùs non sinunt. Illius fugam qui supererant miserè luunt, in gurgustia citra omnem ætatis & dignitatum, quas olim gessère, rationem detrusi, a quibus invisendis quilibet *Christianus* arcetur: nec hic se stitit *Turcicus* furor; quo magis de iis retinendis fiant securi, eos compedibus gravant non sine ingenti verborum insolentiâ, quæ cuilibet ingenuo morte gravior est, & supra humanam patientiam, ni *divina gratia* adsit.

De

De cæteris mancipiis, quæ privatorum peculium fiunt, modò pretium justum offeratur, redimendis non est eadem difficultas. Hic tamen cum avarissimis eorum dominis ingenio utendum est; affectus *Christianorum* erga conterraneos suos sub tam crudeli servitute ingemiscentes, ne nimius videretur, coram supprimi debet; augetur enim pretium ex charitate, quam erga illos præ se impotenti animo ferunt, & quò magis procurandæ ipsorum libertatis studium innotuerit, in iisdem dimittendis se difficiliores præbuêre. Quæres fortasse, unde in *Anglos* aliosque adeò crudelitèr sævitum sit, quibuscum fœdus pacis & commercii per tot annos intercesserit? De *capitulationibus*, quibus de vitâ & opibus mercatorum aliorumque, qui has regiones invisunt, cautum est, postea dicendum erit: in præsenti sufficit rationem, quam paulo supra innui, explicatiorem reddere. Ex istis nautis aliqui, nescio quibus ille-

illecebris aut qua spe prædæ ducti, navibus *mercatoriis* turpiter desertis, sub alienis vexillis, puta *Venetorum* aut *Melitensium* stipendia meruêre. Aliqui *Piratis* (quos non tam zelus religionis & odium *superstitionis Mohammedicæ*, quam lucri & spoliorum spes & amor armavit) operam elocarunt. Nec malè plerumque succedit tanta audacia: hinc naves *Alexandrinas* opulentis mercibus onustas, cùm prælio ineundo prorsùs impares sint, inter *Cyclades* & *Sporades* maris *Ægæi*, omni fugâ illis præreptâ, rapiunt occupantque. Illinc in litus exscensionem facientes, *Turcas* incautos & penè dormitantes opprimunt, licet tantis cladibus è veterno expergefacti, de oris maritimis muniendis jam tandem seriò cogitent. His lætissimis auguriis elati, victoriam sibi in quolibet conflictu spondentes, extrema malorum procari & ambitiosiùs petere videntur. Non omni tempore feliciter pugnatum est: Quis enim

illud

illud ſperet? nec id fata bellorum ſinunt. Omnes, quotquot in manus *Turcarum* incidunt, eadem infelix ſors manet; modò *Anglus*, modò *Gallus*, nullo diſcrimine habentur, nec ipſis magis favent quam cæteris. Memini me, dum *Smyrnæ* agerem, *Capitaneum Baſſam*, *Conſuli* noſtro pro captivis quibuſdam *Anglis* ſupplicanti, cum ipſum in triremi ſua *Prætoria* honoris gratia inviſeret, audiviſſe ita reſpondentem, ſibi a *Domino* ſuo imperatum eſſe, ut nautas, cujuſcunque eſſent gentis, qui hoſtibus ſuis ſuppetias tulerint, pro meritis tanti ſceleris graviſſimè diſcruciaret; ipſis imputandum eſſe, quod in hanc captivitatem ſponte ruerint; id illis jure belli licere, proque talibus, qui longè majora ſupplicia meriti fuiſſent, minimè ſupplicandum eſſe. *Baſſæ* & *Beii* inſulis, quæ huc illuc ſcatent & quaſi ex aquis emergunt, præficiuntur hâc conditione, ut triremibus claſſem *Turcicam* ſingulis æſtivis expeditionibus

 adau-

adaugeant: pro ratione vero redi- tuum, quos colligunt, triremes numerantur. In his armandis ne unicum quidem asprum suppeditat fiscus *Imperatorius*. Illorum est cibos, mancipia, tormenta, cæterosque bellicos apparatus comparare. Si quam verò hostilem navim proprio marte, dum a classe sejuncti & dimissi sint, occupent, vel si quis fortè in litoribus suæ ditionis naufragium patiatur, ipsis in prædam cedit. Quod tamen raro accidit, nec numerus iste bello captorum sufficit, Alios ergo ære suo emunt, quos, prout commodum videtur, vicissim vendunt. Cum horum aliquibus de captivis liberandis pacisci quandoque licuit. Hic tum conscientiæ meæ, tum famæ D. *Legati* & *mercatorum* injurius essem, si tacerem, cum id probè nossem, quanto affectu, quam abundè ipsorum necessitatibus subvenerint, & quam largos in iisdem redimendis profuderint nummos: dum se *Christianos*, dum se

Anglos

Anglos meminerint, nullis sumptibus pepercerunt, si modo sumptibus res expedienda esset, hac ex parte *Religioni* ac *genti* suæ optimè consulentes. Non minoris veneunt quam quinquaginta libris *Anglicanis*, interdum longè pluris. Quendam e nostris redemptum quam maxime cupiebamus, ingenti pretio oblato, quod planè rejectum erat, nec, si duplicaretur, suffecisset. Ille enim, quod postea cognovimus, carbasis conficiendis & resarciendis operam dabat ipsis adeo utilem ac necessariam, ut nullâ pecuniâ pensanda censeretur. Sed ars, quæ ipsi omnem libertatis spem præcluserat, tantam apud ipsos gratiam conciliavit, ut hac sorte penè felix esse videretur & solo nomine captivus. Alios fastus & peculiare odium tum *religionis Christianæ* tum *gentis* nostræ adeò obstinatos reddidêre, ut nullis machinis pecuniariis submoveri aut flecti potuerint. Hanc intemperiem, hosque malos

affectus *Bassæ Rhodensis* menti inside-re experiebamur, cujus exemplo desiderium vindictæ ex animis *Turcarum* nunquam erui posse, & non nisi cum vitâ cessaturum clariùs liquebit. Ipsius pater, triremium *Turcicarum* præfectus, postquam insulas oramq; *Græciæ* maritimam lustrasset, tandem se in sinum *Eubæensem*, qui *Bœotiæ* versus *septentrionem* objacet, (hodie *Golfo di volo*) cum classe recepit; illic quamprimum duas *Anglicas* naves anchoris stantes vidisset, suspicatus illas frumenti gratia, quod a legibus *Imperialibus*, ne in *Christianum* orbem deferretur, severissimè vetitum erat, appulisse, spe & animo opimam prædam, quæ oculis obversabatur, deglutivit. In istiusmodi enim angustiis, quibus pro diversâ pugnandi ratione naves circumagendi præ syrtibus ac vadis nulla dabatur, nec dari poterat oportunitas, facilem spospondit victoriam: nulla nostris fugæ vel salutis vel victoriæ spes relinquebatur,

batur; certissimum mortis aut servitutis periculum illis imminebat. Postulavit illè fastuosè, ut se dederent, alitèr extrema mala expectanda esse. Non diu deliberandum erat. Vires, quas inopinatus hic & infelicissimus casus sustulerat, a desperatione repetunt recolliguntque, & efferatiores facti, ineunt pugnam. Utrinque pugnatur quam atrocissime, ab his ob vindictam, ab illis ob prædam. Tantis copiis oppressi, nostri tandem succumbunt, at non inulti. Confertim cecidêre *Turcæ*, inter quos *Præfectus* iste sclopeto confossus periit. Hinc efferum illud filii erga gentem nostram odium; hinc avidissima vindictæ sitis. Ille enim paternum fatum, quod ante quadraginta annos ipsi evenerat, in memoriam revocans, dum adhuc de ulciscenda ipsius morte meditatur, *Anglos*, quotquot reperiri possint, vel vi vel pecunia occupare conatur. In hos severè animadvertit, in hos triumphos agit quotidianos crudelissimus

mus vir, quaſi parentis manibus hoc modo litaturus. Decem, ni fallor, è noſtratibus habet, nullis precibus, nullo pretio dimittendos. Hunc fruſtra tentavimus, quem licet aliàs pecuniæ avariſſimum, inexorabilem comperimus, utpote vindictæ proniorem. Sed de mancipiis hactenus.

Cum ſub oculis habuerit *Impoſtor Mohammedes*, quantum vires nimius vini uſus exhauriret, & quam malè *Chriſtianorum* exercitus, quorum diſciplinam militarem luxaverat, ab intemperantiâ mulctarentur, quam denique ſanguineæ lites orirentur inter compotandum, id ſequacibus ſuis, quos bello & armis deſtinaverat, penitùs interdixit. Vafro huic invento vim & auctoritatem conciliavit ſuperſtitio, quâ genti credulæ facilè perſuaſum fuerit, illud unâ cum cæteris legis *Muſlimicæ* inſtitutis de cœlo in ipſius mentem illapſum eſſe. Sed quanto niſu in vetitum ruat gens humana,

humana, *Turcæ* hac in re clarissimum faciunt indicium: cum tot elogia ipsorum, quasi plane abstemii essent, apud scriptores exstent, illos a vino abhorruisse, ebrietatemque crimen inauditum illic fuisse, ac solis *Græcis* imputandum, quispiam facilè crediderit: sed diu est, ex quó ab hac laude exciderint; luxus totam gentem ferè inundavit, exceptis fortè quibusdam *senibus* & *sacerdotibus*, a quorum ætate, moribus, & vitæ professione hoc vitium alienum videtur. Nemo beneficium *Turcis*, quod acceptius foret, conferre; aut ipsos magis demereri poterit, quam si dederit vinum. Hoc petunt, hoc strenuè potant, mirantur a nobis aquam inter bibendum vino attemperatam, quod tali mixturâ nolunt jugulandum: nec moderatis haustibus contenti, se in poculis ingurgitant profusissimè. Labes hæc undiquaque sensim obrepsit; cives & milites paritèr rei: nec ipse *Vizirius*,

Vizirius primarius immunis. Postquam enim expugnatâ *Candiâ* vinum semèl degustâsset, qualem saporem, suavem an amarum, habuerit antea, prorsùs nescius, tanto affectu id prosequitur, ut *Prophetam* suum ob rei palato adeò gratæ & sanitati corporis mentisque hilaritati conducibilis interdictum penè damnet. Doluit hoc rigidis & superstitiosis *Mohammedicæ* fidei cultoribus & vindicibus; clamitant & tonant de rostris, de religione & imperio jam actum esse, rem nefandam quotidiè admissam esse, & penè inexpiabilem. At non movit horum zelus *Janizarios* cum *Vizirio* è *Creta* reduces. Tandem pro concione, quam habuit in natali *Mohammedis*, *Imperatorem* sui officii monuit *Sacerdos* quidam *Vani Ephendi*, eruditionis, pietatis, & eloquentiæ famâ apud ipsos longè insignissimus, rixas & concertationes militum penè sub ipsius conspectu hoc liquore diabolico diffluentium memorat, hanc rem esse pessimi

ſimi ominis, & omnia exinde in pejus ruitura, tantis flagitiis *Deum* & *Mohammedem* excandeſcere, denique ſaſacroſanctæ *religioni* certam perniciem impendere ſpiſſâ & tragicâ oratione exaggerat: orat, obſecrat, obnixiſſimè, maximâ vocis & animi intentione hortatur de remediis adhibendis. Pergit, & illum *Paradiſum* nunquam ingreſſurum obnunciat, æternáque ſupplicia ipſi intentat minatúrque, niſi hoc graviſſimum ſcandalum quam citiſſimè curet amovendum. *Imperator* tum agebat *Adrianopoli*; illicò œnopolia *Græcorum* funditùs diruenda, ac vinum effundendum, tanti ſceleris ac tantarum litium cauſam, primò mandat; mox curſores per totum *imperium* miſſi *Imperiale* mandatum de interdicendo vini uſu ubivis promulgarunt. Animum, dum hæc ſcribo, ſubit quantâ cum animi conſternatione nuncium illud *Græci Conſtantinopolitani* exceperint; quaſi afflatu quodam peſtilentiali

percuſſi,

percussi, gemunt, plorant, penê desperant, discurritur, sed frustra; jubet *Imperator*, cui parendum est. Cellas ipsorum vinarias ingrediuntur *Turcæ*, vasáque effringunt, quos tamen celeritate ac diligentiâ suâ aliqui antevertunt, ne in præstando obsequio nimiùm segnes videantur. Universos complectitur decretum illud; *Græcis*, *Armenis*, *Judæis*, non minus quam ipsis *Turcis* in posterum a vino abstinendum esse. *Turcæ* pro genio, qui ipsis insitus videtur, extremis gaudent, quibus, præposteris consiliis rei, quam effectam cupiunt, intentis, quam futura damnosa sit, minimè curæ est. Quicquid agunt, tanto cum impetu tamque incitatè actum est, ut vix clementiæ & æquitatis aliqua ratio habeatur. Quo major vis & auctoritas huic decreto constet, ne quis contra eat, severissimis pœnis cavetur; harum metu magis quam religionis sensu coerciti, à vino, ne anhelitus exspirans, si forte

fortè coram *Judicibus* aliisque, quibus illud exequi commissum erat, sistantur, vel si ipsis occurrant, ipsos prodat, planè abstinent. *Græci* & *Armeni* non item, qui temeritatis suæ pœnas luunt. Quosdam enim benè potos tum linguâ tum pedibus titubantes in plateis abreptos & ad triremes damnatos novi. Interpretes nostri, quotiescunque officii ratio postulavit, ædes *Gubernatoris Constantinopolitani* non nisi jejuni adibant; grande enim nefas esset, si in ora *Bassæ* tetros vapores afflâsse quispiam auderet. Interim *Christianos Legatos* cura tetigit, ne ipsi familiæque ipsorum, *Autumno* insequente cessantibus vindemiis,his etiam incommodis premerentur. *Græci* præ desperatione à vineis colendis destiterunt: neque operæ pretium videbatur ob solas uvas, quæ vilissimo pretio veneunt (nec alitèr eorum copia finit) tantum temporis impendere, & metuendum erat, ne pro-

servi portitores vetarent, quo minus vasa vinaria e navibus *Christianis* ad ipsorum palatia deferrentur. Aliquos ex his *Judicibus* zelus stimulavit, aliquos mentis perversitas & obstinatio, aliquos avaritia. Hoc prætextu *Judex Hierosolymitanus Religiosis Christianis*, qui sacra illa loca incolunt, in *missis* celebrandis usum vini interdixit, nimirum ad extorquendam ab illis pecuniam. Hoc enim unicè voluit nequissimus Nebulo, qui non aliter pacandus erat. Quid ergo in tantâ rerum perplexitate agendum? Interpretes, quorum ope in rebus suis procurandis utuntur, ad *Vizirium* a *Legatis* confestim mittuntur, qui ipsi referrent, hoc iniquissimum fore, si in ipsos ita decerneretur; *Turcicis* liquoribus & aquæ se non nisi maximo valetudinis detrimento assuefieri posse;& hoc,ne commodis vitæ fraudarentur, pro jure gentium iis deberi: Re perpensâ, æquum postulatum censebatur: ideò ipsis,

ipsis, sed solis, indultum est privilegium in proprios usus vinum conficiendi. Ad alios quoscunque suæ ditionis, qui commercii exercendi causâ puta *Smyrnæ*,&c. degerent, id extendi deberi postulant. Hærent *Bassæ*, & vim legis evanidam fore, nec finem propositum sortituram, si concederetur, obstinatè regerunt. Impetrandi quod petitum erat spes nulla relicta videbatur. Interpres noster rem usq; & usque proponit, urgètque fortiùs, novo auctoramento adjutus. De die in diem res delata est, tandem post longas moras (quatuor enim menses effluxerant) pervicaciâ ipsorum continuis efflagitationibus lassatâ ac victâ, assensêre.

Interim *Græci* sua fata lugent, quibus hoc vitæ delinimentum non ampliùs suppetit, quorum tamen aliqui in privatis ædibus uvas in torcularibus premunt, conniventibus *Judicibus* pecuniâ, quæ hic omnia potest, corruptis & emollitis. In hoc decreto

interdictus quoque erat *liquorum stillatitiorum* potus. His enim non minus laxè indulserunt *Turcæ*, quemlibet, qui vel stomacho calorem indat, vel palatum titillatione aliquâ afficiat, avidè exhaurientes. Nemo apud illos reperitur artis *Chymicæ* peritus; in istiusmodi processibus formandis nemo versatur. Nec *Græci* hâc ex parte expeditiores, exstillant equidem, sed modo adeo rudi & ineleganti, cum non minus vasis ad id accuratè exequendum aptis, quam regulis artis destituantur, ut liquores coxisse potius quam spirituosas & puriores ipsorum partes a crassioribus & fæculentis separasse videantur. Qui magis in usu est apud ipsos, *Rac* vel *Racke* appellatur; quod nomen ad *Indos* usque diffusum est.

Cum vero huic nostros tantâ curâ ac tanto sumptu ex aromatibus alisque rebus calidis & pretiosis secretos antecellere! sensus judicaverit, facilè senties gentem brutam, quæ

sensum,

ſenſum, ſi non ut unicum, ſaltem ut vitæ ducem præcipuum ſequendum ſtatuit, in illos effræni appetitu ruere, cui non aliter ſatisfieri credunt; cum detur copia, niſi fœdiſſimum in modum gravi exceſſu obruatur. Si quis integer & mentis compos à tali compotatione diſcedat, illud non virtuti, non voluntati, non affectibus, quos moderari ne vix quidem poſſunt, ſed forti cerebro imputandum.

Habent etiam alios liquores ſibi magis peculiares, quos tantùm nominabo. *Bozza*, ex milio, *Dareh*, confectum, *Huſhaf* e racemorum coctorum & mellis admixtione, *Paliſee*, ex aqua, melle, & ovis, *Pecmez* ſirupum ex uvis ſaccaro conditis. His aſſueſcit ſola infima plebs ob pretii vilitatem: ditiores, furentibus anni æſtibus, ad ſitim extinguendam confectione, jam apud nos notiſſimâ, quam *Sherbet* appellant, utuntur.

Hic de *opio* (*Ofiun Turcicè*) cujus usus apud *Turcas* celebratissimus est, oportunum erit pauca differere, neque enim in describendo hoc succo quomodo compressione facta fluat a papaverum seminibus te morabor. Quod adeo accuratè exequitur *Bellonius*, ut nihil habeam quod ipsi addam. Solum in præsenti enarrabo, quomodo afficiat corpus, qualesque mutationes inducat. Quod insigne *Turcarum* vesaniæ argumentum suppeditabit, qui breviculæ delectationis intuitu sanitatem corrumpunt vitæque insidiantur. Deglutitione factâ (neque enim unquam id mansum est) & stomacho suis partibus fungente, vires, quas habet, sentit cerebrum; spiritus effero motu agitantur; inde oritur vertigo & penè delirium; incessus primùm inconstans, instar insanientium ebriorumque, ita ut neque lingua nec pes nec mens sibi constent, officiumque suum præstent. Sibi interea mirificè placent, mille

rerum

rerum species facultatem imaginatricem subeunt, quibus delectantur; adeo parvo pretio ipsis acquiritur voluptas, quam delicati cibi & liquores longè pluris empti vix dabunt; effectus saltem iidem videntur, nisi quod vino in cerebrum longè violentiùs operetur concretus hic liquor: solum in hunc finem id ab aliquibus ori ingestum est; neque enim viles animæ alîus voluptatis, quam quæ ex hoc præternaturali statu corporis oritur, capaces sunt, neque aliam magis cupiunt: ab aliquibus, ut in exercendâ venere, cui id non parùm conducere experiuntur, se magis strenuè gerant: Aliqui pilulas ejusdem vorant, cui æquè ac doctrinæ de fato cæterisque incentivis in prioribus epistolis a me enumeratis audax & penè desperata fortitudo videtur adscribenda. Aliqui denique, ut seipsos a frigore aliisque hiemis violentiis magis muniant, & expediendis longis itineribus paratiores fiant.

Tanta enim vis huic pharmaco ineſt, ut tantiſper dum illa duret, penè ſenſionis expertes ſint. Hoc viatico inſtructi nuncii, quorum plerique ſunt *Arabes*, cum literis a D. *Legato* & mercatoribus *Conſtantinopoli Smyrnam* ſubinde huc illuc miſſi, mira facilitate & celeritate iter illud conficiunt. Intercapedo harum urbium ferè eſt tercentum milliarium, (*Propontide*, quæ neceſſario trajicienda eſt, & ob viæ compendium, interpoſitâ) quam pedibus metiuntur octiduo, niſi ob pluviam & lutum & aquarum inundationes tranſitus reddatur difficilior. Rem optima fide peragunt, in tribum quaſi coacti; his enim præficitur quiſpiam melioris notæ, qui eos regere & ad varias *Imperii* provincias, prout ratio negotiorum exigit, ablegare ſolet. Cum dixi eos, hoc toxico ſumpto, ſtupidos & penè inſenſibiles fieri, de impreſſionibus aeriis id dictum eſſe memineris; ſe rectâ viâ incedere, licet

mente

mente emoti, & in anfractibus & divisionibus viarum, quali semitâ iter sit prosequendum, noruut; defessi quiescunt sed parcè admodum, & penè supra fidem: soporem, quem aliter superinduceret, primo impetu, discutiunt continuâ corporis agitatione, modico somno contenti, non strato corpore jacentes, sed more recumbentium, genibus usque ad ventrem, ut exindè calefiat, collectis. Quantitas varia est pro vario cujusque temperamento. Quod ordinariè a quibusdam sumitur & quasi in quotidianum alimentum, æquat pisi magnitudinem; duplum ipsius fortiores desiderabunt stomachi, quod ab iisdem concoqui posse aliquis miraretur, nisi venena etiam peculiari corporis constitutione, quam vel natura dedit vel longus usus firmavit, in succos alimentosos olim abiisse certò constitisset. Quantilla pars ejus nostros oculos longo sopore coustringeret non nisi extremo die aperiendos! quod usus familiaris

liaris quibusdem penè ad vitam necessarium reddidit, ut ne per unicum quidem diem abstinere possent. En exitum! spiritus accensi, post violentum & præcipitem motum ipsis ab hisce venenatis particulis impactum, tota vi absumpta, subsidunt, flaccescuntq; & torpidiores fiunt, aspectus teter & luridus, & nihil nisi horridum præ se ferens, manus tremulæ, cæteraque vitia senectutis longè ante senectutis tempora, inertes & stupidi, nec inter homines vivos, sed automata penè numerandi. Nescio quibus experimentis veritas rei constet, at certum est, eos, qui paulò cautius agunt, sumpto opio, a potu aquæ frigidæ, modico saltem tempore, abstinere. Credunt nimirum mortem certò, licet sensim & sine agonibus, exinde secuturam. Hic unicus est opii apud ipsos usus, quod crudum devorant, nescientes, quanti foret usus, si in medicinâ noxiæ qualitates debitâ attemperatione corrigerentur.

Institu-

Institutum illud, quo à vescendâ carne porcinâ arcentur, tantâ cum animi firmitate tantâque diligentia a singulis adhuc colitur, ut qui id diminutum velit, pro sacrilego & scelesto habendus sit; inde ex contactu se pollui, sordesque in animam derivari credunt. Hanc opinionem superstitiosam, quæ altas in ipsorum mentibus radices egerit, longa ætas adeò firmavit, ut nunquam evellenda videatur. Pueri ab ipsâ infantiâ, quamprimum disciplinæ capaces fiunt, & rebus addiscendis attendunt, eam & *Christianos*, quos infami *porcorum* nomine dehonestant, simul execrari jubentur. Inde cum annis crescit odium, non minis, non invitationibus, non ipsâ fame amovendum: Vitam tali flagitio protractam indignantur; quod si quis admiserit, *Islamismum* censebitur ejurasse. Quidam ad conspectum ejus inhorrescunt, deinde horror, quem primo conceperant, in bilem & iram vertitur;

titur; væ igitur *porcis*, si fortè armatis militibus occurrant, cum quibus confligunt tanquam cum atrocissimis hostibus. Quorundam nares offendit nidor, ac si pestilentiale quoddã miasma exhalâsset. Cavendum est *Christianis*, ne mensæ, cui accumbit *Turca*, tam ferale & horridum ferculum inferatur; nemo, si vel tantillo religionis sensu imbutus sit, id patitur: excandescit, fugit è triclinio, inque alium secessum se recipit. Quod cuidam seni in ædibus mercatoris *Angli Galatæ* prandenti dum adessem, accidisse memini. Cum enim coquus, talem convivam nobiscum assedisse planè nescius, ferculum illud tandem apponendum curasset, ille carnem immundam esse suspicatus, qualisnam esset interrogavit, quo cognito (neque enim res amplius dissimulanda foret) surgit quasi attonitus, vagantibus oculis omnia circumspiciens, cisternam videt, ejus epistomio verso, aquâ infusâ manus, os, nares purgat,

gat ;nobis præ ira & celeritate prorſus inſalutatis. *Græci*, qui vicos ſeorſim à *Turcis* incolunt, non tam in proprios, qaam *Christianorum occidentalium* uſus, porcos alunt. Id non ſine pecuniis numeratis ab ipſis impetratur. Mos quoque obtinuit, ut quo ſecuriùs agatur, in iis comparandis ſyngrapham *Gubernatoris* ſigillo munitam procurent *Legatorum* interpretes; (quodlibet autem poſtulatum vel æquiſſimum apud hos barbaros illicò *petitio Arz* nuncupatur) hoc fit ſingulis annis, ingruente brumâ. Ne vero horum animalium conſpectu oculos malè ſe habere, ipſoſque impuris halitibus inquinari querantur, ſubulcis cum grege extra urbes in campis manendum eſt, uſque dum nox ſuis tenebris omnia occuluerit; appetente enim veſperâ ſe recipiunt *Turcæ*, ſinguli in ſuas ædes feſtinantes, nec in plateis noctu ſpatiari vel licet vel juvat, quo pacto tum ab offenſâ, tum à tumultu caveri ſolet.

Nondum

Nondum invasit *Turcicam* gentem ciborum luxuries: desunt illic artes culinariæ; frustra quæras condimenta, quæ gulam irritent, præter piper & cepas; raro piscibus aut avibus vescuntur, nec deliciis carnium student. Ovillam subinde in frusta dissecant, quæ verubus ligneis infigunt igni comburenda. Communissimus autem cibus per totum *Orientem* est oryza, quæ omni ferè ferculo apponitur. Hanc variis coloribus tingunt, puta croco, seminibusque inspersis: facilè paratur coquiturque; neque enim longas moras patitur ingenium *Turcicum*; tribus ante meridiem horis discumbitur, quod prandii loco est, hic omnia fiunt celerrimè. Vas cupreum, rotundæ figuræ, scamno appositum, sesquipedis à strato altitudine, cætera minora vasa tum ejusdem metalli, tum fictilia, continet, neque enim argenteis utitur ipse *Imperator*. Hoc pressè junctis lateribus circumcingunt, certa

certatim quasi cibos comedunt, vel devorant potius, carnem, digitis & dentibus dilacerantes; non enim cultri suppetunt ad hos usus. Sed de his satis superque dixisse *Tibi* videbor, ideo ad alia pergo, licet non ea annotassem, nisi quod de moribus *Turcarum* aliquatenus hinc etiam judicandum sit.

Nuptiæ magno cum tumultu, qui ipsis pompa est, celebrantur; sponsa enim velo coccineo ad talos usque propendente induta, equo cruribus divaricatis vehitur, numeroso cognatorum & vicinorum comitatu stipata. Tibiis canitur in plateis, pueris circumsonantibus applaudentibusque. Non ante hunc diem genialem conveniunt sponsus & sponsa, sponsalibus utpote, ipsis absentibus, ope amicorum peractis. Cum vero lege *Mohammedicâ* permissum sit quavis de leviculâ causâ nuptiis renunciare, quo magis de felici filiarum sorte adversus inconstantiam & proter-

viam generorum provisum sit, si ipsos illarum tædeat, coram Judice signantur contractus de tot aspris in singulos dies numerandis in alimoniæ subsidium, modò remittantur. Hac arte affectus maritorum retinetur, a quibus, si quid in divortiis faciendis deliquerint, nummi, quos paciscebantur solvendos esse, tanquam justum debitum exiguntur. Non licet ultra quatuor uxores sibi assumere, quæ ancillarum dominæ sunt, nec aliud intercedit discrimen præter dotem; nisi quod in has plenum jus quisque habeat. Hac syngraphâ acceptâ, utriusque partis procuratores quandoque (neque enim hoc apud illos perpetuo in usu est) coram sacerdote comparent, de futuris nuptiis, quo celebriores fiant, indicendis. Ille fausta quæque auguratur, interdumque ad convivium nuptiale invitatus, ipsis benedictionem coràm impertit; tribus continuis diebus lusibus & lætitiæ indulgetur.

Status

Status mulierum, quas solenni conjugio quispiam sibi adsciverit, servilis est, in ædibus tanquam in carcere concluduntur; non foras exeundum est absque custode, nemo ad colloquium admittitur, ne ipsarum quidem fratres, si pubertatis annos excesserint, vel saltem bis terve anno, quod gratiæ deputandum est, maritis præsentibus. Otiosæ domi manent; maximum hoc vitæ delinimentum est, clathratis cancellis, quo prætereuntes aspiciant, adstare, & balneis, quæ in amplioribus ædibus nunquam desunt, frequentes interesse; nisi quod aliquas ex ipsis hujus otii planè tædeat: hæ sudaria & stragula intexendo & acu pingendo longas horas fallunt; felicissimæ vero sibi videntur, si maritis placeant, in ipsis demerendis totæ incumbunt, hic labor præcipuus, hoc unicum studium est, ne vel minima de ipsis suboriatur suspicio. Repudiantur, expelluntur, modò justa subsit causa nec

ne, pro arbitrio maritorum.

Quosdam tantæ severitatis erga ipsas pœnitet, quas iterùm in pristinum statum resumunt, quod alternâ etiam vice per consuetudinem, quæ invaluit, fieri licet; si quem verò furor & impotentia mentis ad id tertiò faciendum impulerit, actum est de ipso, sui juris plane fit fœmina, nec in illius potestatem amplius redigenda, nisi post alienos amplexus; alitèr ipsam ad thorum adsciscere penitùs interdictum est, & adulterii crimen habet, juxta sententiam *Haniphei*, celeberrimi apud ipsos *Alcorani* & traditionum *Mohammedicarum* interpretis & enarratoris. Hoc in pœnam inconstantiæ ipsis irrogatur; maxime autem dedecori habetur apud moratiores, nec hâc infamiâ sibi pejus imprecari potuisse visus est *Bajazides* primus, nisi stato tempore, quo illum ad prœlium ineundum invitaverat *Tamberlanes*, (*Timur lenk* i. e. *claudus*) ipsi cum exercitu suo occurrisset.

Quam

Quam facilè autem apud ipsos divortia fiant quibusque de causis *Judæi* etiam fidem & religionem *Mosaicam* sæpissime ejurent & *Mohammedanismũ* amplectantur, cum id quotidianâ fere praxi liqueat, historiola hæc non inficeta dilucidè monstribit.

Cujusdam verpi uxorem, quam deperibat, tandem ad suos amores pellexerat alius eorundem rituum cultor, sed scelus occultum longa aperit dies; ipsa secluditur, dum ille a fulminatrice *synagogæ* censurâ metuit & ad desperationem penè redigitur. Omnia consilia versat, quo se ab hisce laqueis eat expeditum, factum liquebat nullo prætextu dissimulandum; novos amores accendit absentia, quæ intolerabilis utrisque visa est, quibus repetendis securiùs & palàm, mutuo consensu condictum est, *Turcicam* religionem amplecti. Quod factum erat, ringente marito, cui omnis spes eam repetendi præcludebatur; convicta tandem fœmi-

na criminis admissi, ad pristinum virum, qui id unicè volebat, redire cupiit; nec renuit amasius, at obstabat lex *Mohammedica*, quæ fœminam *Turcicam Judæo* aut *Christiano* nubere vetat. Ideo ille insano amori indulgens, in castra *Mohammedica* transit, hic coram *Judice* nuptiis, quas tabellis signatis firmaverat, dissolutis, eam abrenunciat; quæ jam libera & sui juris, alteri nubit, a quo decesserat. Relictâ urbe *Thessalonicam Judæis* tumentem petunt, veterem *Judaismum* amplexuri, ubi in tantâ multitudine minimè metuendum erat, ne in ipsos ob renunciatam fidem *Mohammedis* animadverteretur.

In gratiam fœminarum sancitum est, eas a conjugibus suis, si ab iisdem majorem injuriam quam quæ tolerari debeat, passæ sint, separari posse; hac conditione, ut nihil præter vestes aliasque reculas, quæ nomine dotis veniunt, secum auferant: nec quicquam, quo alantur, a maritis expe-

ctent,

ctent, puellasque, si quas pepererint, curent educandas: sed exempla rariora sunt.

Erga eos, qui gravi morbo malè afficiuntur, aliquâ præsertim necessitudine & cognatione interveniente, perquam humani & benevoli sunt, quod etiam nonnulla animalia bruta docuit natura. Hoc inter opera charitatis, (*seweb*) quæ humanitatis & amicitiæ leges exigunt, recensetur: in his visitandis adeò frequentes concurrunt, ut molesti videantur, nisi quod usus officium hoc non solum tolerabile, sed penè necessarium reddiderit. Quisque fructus & pharmaca in subsidium ægri secum affert. Dum vita superest, nihil non, quod illam avolaturam retinere fugientemque retrahere possit, moliuntur. In ipso autem agone mortis, cum res jam conclamata est, moribundo auribus quispiam, sacerdos præsertim si adsit, insusurrat plus semel formulam illam, quæ summam religionis apud

 ipsos

ipſos complectitur, *Non eſſe Deum præter Deum, & Mohammedem nuncium ejus.* Ægros laborantes & cum morte luctantes lugent, miſerentur, ingentemque præ ſe triſtitiam ferunt, voce & vultu flebilibus. Poſtquam vero anima a carcere, quo detinebatur, avolaverit, ceſſat omnis luctus, a gemitu & ſuſpiriis, ſaltem quantum natura patitur, ne palam exaudiantur, abſtinent; mortuos lachrymis reliquoque doloris ac iræ apparatu & tumultu plangere non leve piaculum habetur, cum hoc eſſet decreto divino, cui placidè parendum eſt, perperàm & contumacitèr obniti. Cadaver thymiamate ſuffumigatum & aquâ tepidâ, cui admiſcetur ſapo ad eluendas ſordes, diligentiſſimè lotum & ſindone conſutum (niſi quod pars infima, quæ caput & pedes operit, ſine acu conjuncta in plicas obvolvatur, quo expeditiùs ſe pedibus ſiſtat in ſepulchro, & ſine morulâ rationem fidei ſuæ reddat) cito

citò ad sepulchrum, capite prius lato, defertur; Non alius ipsis condiendi modus in usu est, non in solenniorem pompam prorogatur sepultura, nullas exequias, nullam magnificentiam funerum curant; nulla præfica, tædiferi nulli, qui cereos portent ad supplendum diurni luminis defectum; nunquam enim noctu hos ritus peragunt. Antè ambulat *sacerdos*, pauca obmurmurans: sequuntur cognati vicinique: cum ad loca sepulturæ perventum sit, pro salute ipsius animæ peculiares preces effundit *sacerdos*, qui solus propè adstat, reliquis ad viginti pedes recedentibus, & quædam *Alcorani* capita legit. Tum mortuum de fide, quam, dum in vivis esset, profitebatur, seriò quidem monet, ne illum quasi ex improviso, & de istiusmodi rebus minimè cogitantem occupent *Angeli inquisitores*, ut in illo examine subeundo hoc nempe, *Deum esse creatorem suum, Mohammedem nuncium ejus*, & *se*

Meccam

Meccam versus preces suas direxisse liberè & audactèr respondeat; quibus cæremoniis peractis, humi cadaver condunt, & ab *Angelis* de anteactæ vitæ ratione examinandum relinquunt.

Cura superstitum erga defunctos ultra sepulturam extenditur, nummi distribuuntur pauperibus, ut eorundem suffragiis & precibus amicorum animabus benefiat. Ad sepulchra sæpissimè itum est a cognatis, ad testandum luctum simul & affectum. Aliqui ex *Imperatoribus* & *Magnatibus* sibi consulentes, ad hos usus prædia devoverunt, ne deessent istiusmodi officia. Mulieres funeribus nunquam intersunt, cum id officii & humanitatis ad solos viros spectet, nisi quod ultimo die *Ramazani* iis sepulchra invisere permissum sit. *Cæmeteria* sunt extra urbem, & prope viam *regiam*, nescio an ad pompam religionis *Mohammedicæ*, an in humanæ fragilitatis exemplum & memoriam. Sepulchra autem

autem cava sunt, neque enim terrâ implentur, spatio, quo assurgant faciliùs & assideant coram *Angelis*, relicto, asseribus superimpositis, ne in ipsorum ora & oculos decidant pulvisculi & arenulæ, quibus superius spatium oppletur. Ad horum extrema eriguntur duæ columnæ, effractæ & intercisæ, quæ olim *Græcorum* ædes & templa ornarunt, vel ingentia saxa, quorum non pauca quatuor ulnas longitudine excedentes in cœmeterio *Galatensi* me vidisse memini. Mortuos lædere horridum sonat; ideo ossa in loculamentis quiescere sinunt, nec idem sepulchrum bis effodiunt; quisque proprium sepulchrum habet, non ossa ab alienis ossibus premuntur, cineres non magis impermixti olim in urnis & capsulis recondebantur. Uniuscujusque, vel pauperrimi, tumulus duobus saxis signatur, insigniora verò sepulchra habent melioris sortis viri, quorum descriptionem paucis accipe. Ex

lapide

lapide quadrato & bellè cæso exstruuntur, cistæ, cui operculum ablatum est, (nullum enim saxum superiorem sepulchri partem tegit) formam referentia, gradu lapideo ea circumambiente: in utrisque lateribus tres circuli auro obtecti, ut in extremis unicus, exstant, intermedia spatia flores cum germinationibus & flexibus suis incisi implent. Hic, uti in laquearibus, cælatura ostenditur; statuariam & artem pingendi humanas imagines nemo apud ipsos callet, nec si calleat, ostentare audet. Artificium hoc tanquam scelestissimum penitùs damnatur, & in figuras seu penicillo seu scalpro elaboratas planè sæviunt. In alterutro extremorum erigitur columna, quæ à quadrato latere incipiens in conum assurgit desinitque, cujus apici superimposita fascia, qualis capitibus virorum multiplici flexu spirarum instar circumvolvitur, viri sepulchrum signat, ut (*Tekyah*) insigne capitis muliebris

muli-

mulieris. Hactenus de sepeliendi ritibus & sepulchris, quæ sub dio sunt in locis campestribus: de sacellis tectis, quibus *Imperatores* jacent, postea commodior erit dicendi locus.

Jusjurandum apud *Turcas* maximè obtinet in judiciis litibúsque pecuniariis & capitalibus dirimendis: producitur in medium *Alcoranus*, quo tacto actor & testes, invocato *Dei* nomine, (*vallah*) se bonâ fide in testimoniis adhibendis acturos solenniter obstringunt. Librum osculantur, & fronti apponunt, tum in juramenti, tum in *Alcorani* reverentiam, qui tanti æstimatur, ut illum illotis manibus tractare nefas sit, nec nisi post hos ritus peractos aperire liceat. Si quispiam *Christianus*, si *Judæus* in jus vocentur, vel alicui litem intentent, eos tactis sacrosanctis *Evangeliis* vel *Pentateucho* de rerum veritate adjurant. Unus è *Christianis Occidentalibus* ad forum citatus coram *Judice Mohammedano* comparuit testimoni-

um daturus; prius juramentum interponendum erat; libentissimè se juraturum profitetur, cum id optimo jure potuerit; sed defuit sacer *Evangeliorum* codex, nec ulteriùs in litis contestatione procedendum erat, nisi hoc obice amoto. Itur ad *Græcos*: tumultuantur, sedulo inquirunt ac investigant an liber uspiam inveniri possit; tandem infertur libellus quidam *Latinus*, quem *Evangelium* crediderunt. Quo ostenso, ille manum a contactu libri profani in hoc sacro cultûs divini, quem naturalis religio docet, actu planè retrahit; Urget interpres, a quo hæc historia mihi communicabatur, rem fieri,ne lite caderet; librum ipsi *Evangeliorum* vice objectum esse; moram ipsius testimonium suspectum redditturam; eâdem fide se jurare potuisse,modo *Evangelistarum* Autographa exhiberentur: quibus argumentis expugnatus, annuit.

Non expectabis,ut jurandi formulas, quibus

quibus in familiari sermone extra judicium utuntur ad fidem conciliandam; cum rei, de qua agitur, serio intenti sint; vel cum versutia & decipiendi hoc religioso prætextu studium, vel cum ira similesque affectus mentem transversim rapiant, hic apponam; In historiis rerum *Turcicarum* eæ ubique exstant. Unicam dabo, quâ omnem falsi suspicionem amovendam curent, & cui succumbere quêlibet præfractæ mentis necessum sit; hæç autem his conceptis verbis effertur, *dort kitab hek itchin*, i.e. *per veritatem quatuor Librorum* rem ita se habere; Intelligunt *legem Mosis* (*Teurat*) *Psalmos* (*Zabur*) *Evangelium* (*Ingil*) & *Coranum*. Horum auctoritatem agnoscunt, & tanquam libros sacros venerantur; *Isa*, *Jesu*, (*Musa*) *Mosis* & (*Daoud*) *Davidis* nomina apud ipsos nota sunt & in honore, quos *prophetas* insignes fuisse fatentur, nec de iis absque elogio loquuntur, ipsorum nominibus titulo dignitatis præfixo, ut *Hazrette Isa*, *Dominus Jesus*.

Jesus. Fœdissimus *Impostor* hac de re ipsis præivit in *Alcorano*, de sanctissimâ vitæ *Christi* ratione & de miraculis, quæ edidit, abundè testatus. Hinc illa reverentia erga *Christi* nomen apud moratiores, ut si qua injuria ipsi inferatur, indignentur, & quandoque eam ultum eant. *Judæus* quidam *Gallipoli* urbe *Thraciæ* maritimâ ad *Propontidem* mercatori *Anglo* malè infensus, postquam putidissima convitia in illum evomuerit, extremùm, quo illum maximè ureret, *Christo* maledixit; sed non cessit ipsi impunè hæc impia oris virulentia: abripitur ad ædes *Judicis* recutitus nebulo, testantur, qui aderant, ipsum *hazrette Isa* (i. e.) *Dominum Jesum* blasphemâsse ac probris læsisse; factum liquebat, sine morâ fustibus pedes cædi jubet *Judex* (nec enim longâ deliberatione & consilio in re adeo apertâ opus erat) in tantæ blasphemiæ pœnas.

Singulis annis celeber *Turcarum* ab omni ferè imperii, quantū quantū est, Provinciâ

provinciâ conventus est apud *Meccam*; Hanc urbem sacravit *Mohammedis* sepulchrum, in quo invisendo insignis pietatis pars collocatur; hinc amor & zelus iste illic peregrinandi oritur, hinc opinio meriti, hinc major fama pietatis peregrinantibus, quibus hæc felicitas contigit, unanimi consensione accrescit. Quibus autem ritibus & cæremoniis tota hæc peregrinatio peragatur, ex historiâ, quam meo rogatu *Constantinopoli* descripsit D. *Albertus Bobovius*, de quo, utpote tibi famâ ac commendatione noto, mecum egisti, antequam ex *Anglia* discesserim, planissimè liquebit: Hanc cum aliis ejusdem lucubrationibus in appendice annectendam curabo. Quantâ veneratione *Hierosolyma* prosequantur, titulus, quo ea insigniunt, satis indicat. *Kuds* enim (i. e.) *sanctuarium* seu *urbs sancta* vulgari nomine nuncupatur, cui hæc epitheta honoris gratiâ frequentissimè addi solent, *Kudssherif* & *Mubarek* i. e. *nobilis* & *bene-*

benedicta: sed longè clarius indicium est, quod aliquammulti peregrinationem *Meccanam* non absolutam & meritoriam credant, nisi hic etiam inter redeundum adorent, & sacra obeant, in *Moschea* nimirum, super montem *Sionis* exstructâ, eo vertice quo olim eminuit magnificum *Solomonis* templum. Hanc etiam, uti sacellum illud, quo *Meccæ Mohammedes* sepultus jacet, ingredi nemini, præter eorundem sacrorum consortes, permissum est; omnis aditus tum *Christianis* tum *Judæis* interdicitur, quasi sacra hæc loca, si alienis gressibus calcarentur, vilescerent omnemque suam dignitatem & sanctitatem penitùs amitterent. Sed manum jam de tabulâ; proximis, quia rem non ingratam nec displicituram videbor facturus, *urbis Constantinopolitanæ* descriptionem qualem qualem habebis. Interim, *Vir Clarissime & Præstantissime*, quam optimè valeas. *E Collegio B. Mariæ Magdalenæ festo Sancti Barnabæ A. Chr.* M. DC. LXXIII.

EPISTOLA




EPISTOLA,

inquâ brevis

CONSTANTINOPOLEOS

notitia continetur.



UM *Urbis Constantinopolitanæ* describendæ fidem meam *Tibi*, *vir Præstantissime & Insignissime*, nuperrimè dederim obstrinxerímque, non eo animo factum erat, quod planè compertum habebis, quasi graphicam ejus delineationem in me suscepissem; in hâc enim verè laudabili operâ major cura adhibenda est, quam venditare vel possim vel debeam. Singulos vicos ac angiportus frequenti & accuratâ indagine rimari, ac quicquid illic appareat lateátque, ante exploratum habere oportet, quam talem *Topogra-*

 phiam

phiam aliquis de novo aggrediatur. Nec me latuit *P. Gylliū* libro suo aureo omnes numeros hâc ex parte explevisse videri, ac literato orbi diligentiâ suâ incredibili penitùs satisfecisse, ut post illum quidvis hac in re meditari planè arrogans & temerarium censendum sit. Ille enim *vir eruditissimus* omnes regiones *urbis* frequenti pede dimensus est; penè dixeram illum nimiâ diligentiâ usum fuisse, ac dum varios flexus, dum quasvis eminentias ac depressiones viarum, dum singularum dimensiones maximâ cum accuratione definit, descriptionem paulò obscuriorem & minùs gratam reddidisse.

Ille colles, valles, templa, portus, columnas, aliásque *urbis* appendices annotavit, collatione veteris statûs ipsius, dum *Græci* rerum potiti supremum humanæ felicitatis apicem assequerentur, cum præsenti, ex quo nimirum, eorum imperio everso, eam occupârint *Turcæ*, factâ, quam veteri notitiâ *urbis*, qualis erat sub Impera-

Imperatoribus *Arcadio* & *Honorio* adjutus, instituit, ut omnem aliorum industriam omnémque laudem præripuisse videretur. Ita est sanè me judice. Quid ergò à te expectandum est, inquies, qui tot verba in elogiis *Gyllii* profuderis, quem accuratissimum scriptorem tota gens literata tecum fatetur? Præsto mihi est apologia, quæ me ab hoc ictu immunem illæsúmque, ut spero, tuebitur, mihi nimirum idem cum aliis licere, qui *Constantinopolim* tum iconismis tum novis commentationibus illustrandam sine censura *Gyllianæ* industriæ, aliorúmque, qui idem argumentum tractarunt, vituperio credunt. Quisque sibi in rebus describendis repræsentandísque placet, non eadem methodus, non idem propositum, quod pro diversâ studiorum ratione variatur. In tanto igitur scriptorum numero, non mihi imputandum erit, si more eorundem, ipse quid oculis observaverim, licet fortassè id rudiùs minúsq;

f 2 expressè,

expressè, describam; non enim pudebit fateri, curiositati meæ vix satisfieri potuisse, dum rudera antiquitatum investigando lustrarem; ea semel vidisse non satis duxi, plateas assiduè percurrere ac templa ingredi perplacuit, denique omnem diligentiam adhibui, si non quoad volui, (nec enim fastus & odium *Turcarum* id penitùs siverint) saltem quoad potui, dum hæc agerem: quod mihi in excusationem apud æquos rerum judices & æstimatores cessurum arbitror. Hæc autem præfatus, rem propositam, & quæ ei ornandæ maximè conducunt, de industriâ paucis quidem pagellis ad amoliendum tum tædiũ tum invidiam, in *Tui* & per *Te*, si placet, aliorum gratiam brevissimè confecta dabo.

Facilè, nec id temerè quidem, pronunciandum est; nullam urbem in universo terrarum orbe hodiè exstare, aut olim exstitisse, quæ *Constantinopolim* situ æquet, si amœnissimum

mum profpectum, fi â qualicunque hoftium ac ventorum impetu, abfque fœdiffimo civium neglectu, fecuritatem, fi munitiones, quas fuppeditant tum ars tum natura, fi denique breviculum, quo in *Afiam* facilè tranfitur, trajectum fpectes, ut in fedem & caput imperii deftinata videatur. Tot montibus placidè tumet, ædibus hinc inde pendentibus, ut illuftrius fpectaculum, oculifve jucundius defiderari aut fingi quidem vix poffit. Ædes enim aliæ aliis paulò elevatiores miro & pulchro ftant ordine, & à quopiam urbis latere facilè fpectantur. In hortis altùm exfurgunt cupreffi, plateis intermixtæ, ut urbem mediâ fylvâ conditam quifpiam, maris *Propontici* oram legens, credat: fi vero ad *Mofcheas*, quæ quaquaverfum patent, oculos tollat, apices pyramidum auro obtecti tanto vigore lumen evibrant, ut nimio fplendore victi oppreffique coniveant & fatifcant, & delectatio

illa, quam mens prius exhauserat, stupori derepente cedat.

Licet mari objacet, utrinq; angustiis coercetur, ut penè inaccessa sit, & qualescunq; hostium impetus facilè arcere possit. Distat *Tenedos* insula quatuor leucis ab ipso *Hellesponti* ostio, cujus litora intervallo quinque milliarium à se invicem distant; hinc aquæ rapidissimo cursu, potissimum flante *Boreâ*, in mare *Ægæum* sine ulla reciprocatione effunduntur, unde contra ire cursumque navis promovere, nisi secundissimi venti ope, non liceat. Hunc aditum muniunt duo propugnacula, quæ a *Venetis* ferè ad fauces usque *Hellesponti* cum classe sua irrumpentibus lacessiti, flagrante bello *Cretico*, exstruenda curabant *Turcæ*. Prope promontorium *Sigæum* (quod hodie à nautis nostris ac *Italis Janizarianum* audit) in litore *Asiatico* situm navigantes, tormenta bellica istius propugnaculi ab uno latere, quod oram oppositam

respicit,

respicit,viginti sex, ab altero, quod *Tenedum*, sedecim numeravimus. In medio autem æstu vecta navis ab his non multùm fortassè periclitabitur. Inde *Hellespontus* latiùs *orientem* versus exporrectus, tandem intervallo a *Propontide* & *Ægæo* propemodum æquali in angustissimas sinuatur fauces.Latitudo enim milliari *Anglicano* quartâ parte minor est.Propugnacula*Turcis Boghas hisar*(i.e.*freti munimenta*, *Christianis Dardanelli*) sibi invicem opponuntur, quorum gratiâ etiam adhuc veterem, quam olim obtinuêre, famam retinent *Sestos* & *Abydos*. Illius propugnaculum trigoni formam habet, in cujusque anguli vertice exsurgit turris, mediam aream occupat turris quadrata, quam ambiunt tres aliæ, formâ hemycyclicâ: Hujus propugnaculum quadrangulare est, latera arces rotundæ figuræ exornant muniuntque: intus turris oblonga se altùm exserit. His suam securitatem debent *Constan-*

tinopolitani, aditu exitûque navium hinc interclusis; hic enim pro more, usque dum mundo ter illuxerit sol, uti loquuntur *Turcæ*, *Christianorum* naves jactis anchoris subsistunt, à *Constantinopoli* huc appellentes, nec illinc solvendum est, nisi post explorationem, ne mancipia mercésve per leges imperii interdictæ concludantur delitescántque, factam, à *præfectis* veniam priùs impetraverint. *Sestos* in litore *Thracico* sub monte jacet, in planitie *Abydos*; munitionibus validissimis & planè antiquis, longè supra ingenium & peritiam *Turcarum*, utraque ornatur gaudétque, ingentibus tormentis paulò supra aquæ superficiem eminentibus, ut non nisi maximo periculo fretum sit perrumpendum, ne ea, quæ in singulis muris disponuntur, referam.

Ab alterâ parte versus mare *Euxinum* angustiæ *Bospori* aditum præcludunt, quo minus ad urbem eatur. Hic ad octodecim milliaria in longitudinem

tudinem extenditur, variis & interludentibus aquarum flexibus, ob rupes & promontoria, quæ visum simul intercipiunt & fallunt, quasi utrisque ripis conjunctis non amplius esset progrediendum; tanto autem impetu fertur aqua in fretum hoc irrumpens, præcipuè si ab *Aquilone* protrudatur, ut cymbarum proris fluctibus frustra obversis remiges subinde litus petere coacti, eas funibus alter pone alterum incedentes trahant, & quod mirêre, tantâ cum ebullitione alicubi resilit, quasi ignis suppositus flexiles ejus particulas in bullas intumescentes sine spuma agitasset. Sinubus latis & portuosis abundat, potissimùm in litore *Thracico*, quod oppletur vicis & ædibus *Magnatum*: freto imminent ædes, è quarũ fenestris pisces capiuntur; ripas *Bithynici* litoris tegunt oleastri, castaneæ, cupressi; hortus continuo tractu insitus videtur. Hinc *Asiæ minoris* delicias æstimare licet, quam ubere ac felici solo, quam propitio cœlo

cœlo gaudeat ; jucundum ſanè nobis in *freto* navigantibus ſpectaculum, at quam longè jucundius gratiúſque futurum eſſet, ſi hæc umbracula, ſi amœni hi receſſus è manibus *Barbarorum* eriperentur!

Bina munimenta alterutrum alvei latus muniunt, prima ſexto ferè ab *urbe* milliari diſtant, à *Mohammede* expugnatore *urbis* condita, *Turcis Jeni hiſar*, *Græcis* νεόκαστρα i. *nova propugnacula*, ſeu ἀσπρόκαστρα *candida*, quibus nominibus ab aliis diſtinguuntur longè vetuſtioris originis, quæ magis introrſum verſus oſtium *Boſpori* ſunt, novem abhinc intervallo milliarium. Hic breviſſimus eſt trajectus, non enim milliari latitudo amplior videtur. In oſtia ferè, providente naturâ, objiciuntur rupes, ad frangendam aquarum, quas perpetim volvit *Euxinus*, vim : has *Symplegades* nuncuparunt antiqui ; tota enim moles ſaxea eſt, & parvi circuitûs ; litori *Europæo* quatuor ferè contiguæ modico
inter-

intervallo inter se distant, ut, mari interfluente eminùs non perspecto, coire & concurrere videantur. In harum maximâ adhuc eminet columna politissima candidi marmoris octodecim circiter pedes alta, ordinis *Corinthiaci*, quam *Pompeianam* vocant, quasi ab illo præclarissimo tum mari tum terrâ duce, in memoriam victoriæ, quam de *Mithridate rege Pontico* reportaverat, erigeretur: quod mihi planè figmentum videtur, ac eâdem licentiâ dictum, quâ alii rudera quædam saxea, non procul à *Belgrado*, (viculo nimirum, in quo flagrantibus anni æstibus pro more rusticari solebamus) *Ovidii*, quasi hic propè exul quod reliquum vitæ erat transegisset, *turrim* somniarunt. Ita veteribus monumentis nova imponuntur nomina, à viris *occidentalibus*, partim seriò, partim jocularitèr: sed rem extra controversiam ponit inscriptio, obscuris exesisque characteribus in basi incisa, quæ eam imperante *Augusto*,

gusto, cujus nomen illic memoratur, erectam fuisse ostendit.

Ex adverso *Pharos*, *Graecornm* opus elegans & magnificum, promontorio inaedificatur, quem ascendimus; inde enim commodissimus in illud importuosum & infame mare, quod *Turcae Kara denisi* i. *nigrum mare* appellant, prospectus est.

Situs hic inter duo maria longè antequàm a *Constantino* caput imperii constitueretur, *Byzantium* nobile emporium reddidit, utpote commerciis quam maximè oportunum. Quicquid enim *Graecia*, quicquid *Ægyptus* & *Mauritania* habent, huc facilè vehitur. *Asiam minorem* in conspectu habet, in quam copias tum frumentarias tum militares securissimè trajicere licet, & gentes, quae ingentem *Pontum* paludemque *Maeotidis* circumstant, suas merces perquàm commodè mittunt. Sed de ipsius situ in genere pauca haec praelibasse sufficiat.

Constantinopolis a *Turcis* nominatur

Istan-

Istanpol, quod juxta tritum loquendi usum, qui ubivis obtinet, in *Stambôl* hodiè degeneravit. Inde cuivis constare posse certum est, nomen illud non *Turcicæ* esse originis, quasi *Islambôl* i. *urbs fidei plena*, scribendum esset, ut aliqui imperitè conjectantur, sed ex *Græco* planè mutilatum, veteri sæpenumerò urbium nomenclatione ad linguæ *Turcicæ* genium modulumqne paululùm inflexâ, ut *Edriane*, *Bursia*, *Esmîr*, *Budun* pro *Adrianopoli*, *Prusia*, *Smyrna*, *Buda*, & sexcenta ejusmodi. Particularem vero ipsius situm accipe. *Scutario* (veterum *Chrysopoli*) urbi peramplæ, leucæ intervallo objacet; & *Chalcedoni* in angusto sinu reductæ, quæ temporis edacitatem & fati violentiam tristesque rerum vicissitudines luget & testatur. Ignobilis enim hodie pagus est, (*Turcis Kadi kui* i. e. *Judicis oppidum*) adhuc tamen sedis *Metropoliticæ* dignitatem obtinet apud *Græcos*, qui pulcherrimum templum pientissimæ

&

& constantissimæ *Martyris sanctæ Euphemiæ* nomini dedicatum, unicum veteris magnificentiæ quod superest monumentum, hic habent.

Trianguli formam refert, cujus vertex est promontorium, (a *Græcis sancti Demetrii promontorium* nuncupatum) cui supereminet palatium *Imperatoris.* Inde majus latus, quod a *Propontide* ad *Austrum* se obliquatione factâ in sinum subducente subtenditur, ab *Euroaquilone* ad *Notazephyrum* sex ferè milliarium intervallo usque ad *septem turres* excurrit. Alterum latus versus *Boream*, litore instar cornu flexo, ad tria milliaria extensum ab ortu ad occasum facit sinus *Galatensis* a *Strabone* Κέρας dictus. Pro base habet in planitie campestri *Thraciæ* versus *occidentem Isthmum*, a *Propontide* quater mille passus ferè *meridionaliter* ad *sinum* exporrectum, triplici muro cinctum, usque ad *Constantini* palatium; inde angulo curvâ projecturâ facto, ubi est maxima terræ declivitas,

declivitas, unico, modico nimirum ad portum intervallo, quemadmopum duo latera, quæ a mari alluüntur, habent.

Quoad ambitum tredecim millia paſſuum intra mænia complecti videtur. Latitudinis autem eſt variæ, coeuntibus aut recedentibus diverſis angulorum oppoſitorum partibus. Montibus duodecim, ni fallor, turget, è quibus *ſeptem* inſigniores ſunt, ütpote elatioribus jugis maximè conſpicui. Horum pleròſque ornant templà magnifica, ab *Imperatoribus* juxta formam *ſanctæ Sophiæ* condita, quorum teſtudines pyramideſque nubes ferè attingunt. Sed de his enucleatiùs poſteà dicendum erit.

Nihil non illuſtre & tantâ, quæ ſpargebatur, famâ dignum in hâc *urbe* exſtare, oculis quoque ſpondentibus fiſus, credebam; quamque ingens ſui deſiderium illa a longè conſpecta pepererit, exprimendo non ſum: quam tamen ingreſſus, me

miſerè

miserè delusum esse præsens sentii; mihi primùm displicuere salebrosi viarum flexus & inæqualitates, non sine labore superandæ; undequaque enim vel ascendendo vel descendendo itur, si unicam, quæ *urbem* transversim dividens ab *Imperatoris* palatio ad portam *Adrianopolitanam* æquali superficie ac sine aliquâ curvaturâ ducit, plateam excipias; dein earundem angustiæ, quæ nitori & amœnitati detrahunt, ut ædes alicubi utrinque se ferè contingere videantur. Sed cùm his facilè mihi in gratiam rediit, cùm meminissem, in causâ fuisse tum situm, tum umbræ commoditatem, studio quæsitam, quò solis radii, ne nimium infesti sint, magis arceantur. Verum enim vero hæc nihili planè erant præ spurcitie & cæno & sordibus, quibus plateæ scatent, præ sterquiliniis, præ solitudinibus, quas incendia passim fecerant, præ denique tabernis & ædibus humilibus inornatisq;, non è saxo affabrè dedolato, sed è
tenuioribus

tenuioribus afferibus vel luto fole cocto coagmentatis. Ex antiquis enim *Græcorum* ædibus paucæ admodum hinc inde fuperfunt, idem fatum cum cæteris ob vetuftatem brevi fubituræ, quæ fatis teftantur, quam pulchertimis fplendidiffimifque ædificiis olim fuperbiret & exornaretur *Conftantinopolis*: de privatis ædibus loquor, quarum exteriori cultui parum confulitur. Nullibi hic exfurgunt porticus columnis fuffultæ, non poftes deaurati, non arborum feriatim depactarum ordines ambulacra ornant terminantque; fruftra imagines pictas, fculptas, aut opere coronario elaboratas hîc quæras: areæ, fi quæ fint, penitùs deformes, nec juxta *canonem* difpofitæ. Hoc folo difcrimine cæteris antecellunt *Magnatum* ædes, quorum magnificentiam aliunde petendam effe fupra diximus, quod laxiores fint, portarum prominentiis è variis coloribus; putà minio; cæruleo, croceo, tellellatis

tessellatis. Ex atrio ascenditur in aulam satis amplam, quâ excipiuntur quotquot illos negotiorum causâ adeunt: cubilia angusta; sine aulæis parietes, quorum vices interdum supplent laterculi, variis florum foliorumque nexibus depicti ac deaurati; opus intestinum rariùs.

Mœnia tum ob crassitiem tum ob altitudinem nescio an *urbi* majori sint præsidio & munitioni, an decori & ornamento; turribus muniuntur, unde facilè depluat in hostes imber plumbeus, si qui ea aggrediantur. Quo ea, quæ ad *Propontidem* sunt, accedant grandiores naves, rupes in longum ex adverso sub aquis procurrentes obstant. Horum partem fluctuum vi vel terræ motu dirutam *Theophilum Imperatorem* instauràsse inscriptio hæc, quam passim exstare accepi, testatur.

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ.

Sub

Sub mœnibus in extremo latere versus portum terrâ in litore aggestâ disponuntur quinquaginta tormenta bellica, militibus illic perpetuo excubias agentibus,in *palatii* securitatem. E saxis cæsis fiunt,nisi quod alicubi interveniant lateres&lapides cœmento intermixti ;in supremis versus terram mœnibus, quæ triplicia diximus, quidam hiatus, tormentorum impetu, in *urbe* expugnandâ facti, adhuc visuntur, de quibus reparandis minimè cogitant, cum isti eorum oculis quotidie obversantes in memoriam revocent, quam felicissimè suis majoribus illa obsidio tandem cesserit. In his turres quadratæ a se invicem modicum distant, quarum spatio medio,quasi in trianguli formam, respondent in secundis aliæ. Tertia minis aperturisq,,è quibus prospicere licet, destituta, in terram valdè deprimuntur, fossâ extimâ, viginti quinque passus latâ, hodie oppletâ. Extra mœnia nullæ ædes suburbanæ, unicâ aut duabus prædialibus fortè

 exceptis

exceptis, nisi ad portum, ubi excurrit vicus incolis refertus. Tota planities campestris patet, hinc accedentibus ad urbem spectaculum oculis gratissimum exhibent numerosæ admodum & pulcherrimæ turres, aliæ aliis superiores, ut dubium sit, an terrâ vel mari gloriosior *Constantinopolis* appareat. Has amœnitates oculis avidissimis hausisse non semel bisve contentus, totum illud spatium, quod occupant mœnia a *Propontide* ad *portum*, non sine maximâ delectatione pedibus sæpenumero dimensus sum.

Quo ab omni parte quisque majori cum commoditate sine ambagibus *urbem* hanc, quæ tantâ perimetro circundata est, ingrederetur, ab instauratore sapientèr provisum erat tot portarum aperturis. Iis, quæ versus mare sunt, porticuli prætenduntur ac terra acclivior, in quam facilè ascenditur, mediocri litoris intervallo excluso. Numero autem

sunt

ſunt viginti quinque, quarum nomina, quibus a *Turcis* hodiè appellantur, licèt fortaſſè id leve prorſus & nullius momenti cenſendum ſit, cum a nemine accuratè quod ſciam hactenùs præſtitum ſit, hic juxta ſitum, quem habent, breviſſimè recenſebo.

Ad mare *Proponticum*, nimirum a *Palatii* promontorio ad *ſeptem turres* hoc ordine ſeptem occurrunt.

Achor Kapiſi, i. *ſtabularia porta*, propè enim adſunt *Imperatoris equilia*.

Chatladi, *rupta* (quaſi per inciſuram)

Kum, *arenaria*.

Jeni, *nova*.

Daoud Baſha, *Davidis Baſſæ*, cujus nomen ob expenſas curamque in eâ reficiendâ collocatam ipſi fortè inditum erat.

Samathia, ex *Græco* aliquatenus corruptum videtur.

Narli, *malogranati*.

Verſus terram a *Propontide* ad *ſinum* ſeptem.

Jedicola, *septem turrium*; quod a quibusdam, linguæ *Turcicæ* ignaris, soni affinitate deceptis imperitissimè in *Janiculum* pervertitur.

Seliure, quâ *Selymbriam* itur.

Top, *tormentaria*.

Jeni, *nova*.

Edriane, *Adrianopolitana*, quæ nimirum eò ducit

Egri, *torta*, ob tortuosos flexus & obliquationes.

Ivanseri; in planitie, quæ post curvaturam magis introrsùm propiùs sinum attingit. Ratio nominis, quod a *Turcis* impositum fuisse certum est, incertissima videtur. Aliqui *Iyubanseri* scribi oportere contendunt, quem *Jobum Medinensem Ansariensem* dictum; (quò nomine quotquot *Mohammedi* bello & armis suppetias tulerint in *Alcorano* nuncupantur) utpote ipsius *vexilliferum*, alii *Monachum Christianum*, qui unà cum *Bessarione* ejusdem instituti viro religioso, propè in cryptis tenebricosis *Asceticæ* vitæ

tæ vacavit, eſſe ſtatuunt. Quorum illic ſepultorum piæ memoriæ ſacellum nunc in *Moſcheam* converſum dicabatur; inde in poſteriori nominis parte ad ἅγιον Βεσσαρίωνα *Aivaſari* alluſum eſſe fingunt, τῶ γ extrito inter pronunciandum, ſicut magnificum illud templum *Sanctæ Sophiæ* *Aia Sophia* hodie nuncupant *Turcæ.*

Ad *ſinum* undecim.

Balat, Palatina, quâ ad *Conſtantini* palatium aſcenditur; in extremo fere illius receſſu, in quem evolvuntur duo fluvioli.

Petri, *ſancti Petri*, ob templum ejuſdem nominis olim contiguum.

Phanar, Φανάριον ſeu *laternaria*, hâc in urbem irruperunt *Turcæ*; duplex autem hîc exſurgit murus duplexque porta, in litore altera, altera in clivo, a civibus obſeſſis, cum in priori defendendâ deſperaſſent, tumultuariò condita, hinc adhuc apud *Græcos* retinetur nomen διπλο-φανάρι.

Gebali, *montana*, vel ut alii efferunt *Giob-ali profundi putei* porta;

porta Jubalica a quibusdam corruptè nuncupatur.

Unkaban, *farinaria*, propè copiæ annonariæ in cellis penariis reconduntur.

Odun, *lignaria*, monastichum hoc adhuc legitur, μνήμη θανάτου χρησιμεύει τῷ βίῳ.

Temish, *fructuaria*.

Baluk bazar, *fori piscarii*.

Balkaban, *mellis* porta, prope quam veneunt vascula illius plena, bilance appensa.

Zindan, *carceraria*.

Bahchiq, *hortularia*, non *Basha*, quasi solis *Bassis*, uti malè fingitur a quibusdam, noctu aperienda esset.

Quælibet ædes ampla, si paulò magnifica sit, á *Turcis* nuncupatur *Serai*, nomine hoc *Persico*, ad vulgarem usum traducto, licet id à plerisque *occidentalibus* ad *Imperatoris palatium*, terminatione additâ *Seraglio*, restringatur, de quo cum *Turcæ* verba faciant, hoc modo distinctè efferunt, *Padishah Serai*. i. *Imperatoris palatium*.

um. Situm eſt in ſummo Promontorii vertice, in extremo ſinûs *Galatam* à *Conſtantinopoli* dividentis litore, *Boſporum Thracium* ab *oriente* habens, cujus aquæ rapido impetu, alveo obliquè ſe habente, ipſum feriunt, ut naves, ceſſantibus vel lenitèr ſpirantibus ventis, quibus illud quaſi æſtuarium regatur, ſæpenumero in rupes & vada impingant. Muris urbis duo ipſius latera, quæ à mari & ſinu alluuntur, cingentibus, alius ad terram excurrit, turribus quadratis quoque munitus, ut propugnaculi ſpeciem præ ſe ferat. Hic olim vetus *Byzantium* ſtetiſſe credibile eſt, primis incolis; uti fit, ob commoditatem ſinûs propè degentibus; quorum ædes pro aucto civium numero ulteriùs in terram excrevêre, uti poſteà ſuccedentibus ſæculis Collegium *religioſorum* virorum, qui ſacra munia obibant in templo S. *Sophiæ*, fuiſſe pro certo habetur. Diu autem erat, antequam *Imperatores Turcici* has ædes

in

in propriam ſedem vendicaverint; expugnatâ enim *urbe*, relicto *Græcorum Imperatorum palatio*, vel quod in illâ, quam paſſa eſt univerſa *urbs*, ſtrage non integrum illæſumque permanſerit, vel mali ominis vitandi cauſâ, aliud, ferè in civitatis centro, eligendum condendúmque cenſuêre, quod hodiè nuncupatur *Eski Serai*, i. *vetus palatium*, quo defuncti *Imperatoris* fœminæ tanquam in carcere clauduntur, nunquam dimittendæ, niſi, quod aliquando fit, *Magnatibus*, quibus maximè favet *Imperator* ille, qui ſuccedit, ipſas nuptum det.

Viginti ſtadia ambitu ſuo complecti videtur, quod ſpatium non continuis ædibus ſed hortis areiſque ampliſſimis occupatur. Porta ordinaria, quâ itur ad *Palatium*, cum cæteræ non niſi rariſſimè aperiantur, à *Janitoribus* (*Capigiler*) quorum clypei, haſtæ, bombardæque illic in omnem uſum pendent, in ingentem altitudinem effertur, cui par amplitudo non

reſpoudet.

respondet. Hujus paraſtades muniunt duæ columnæ è craſſiuſculo marmore; hinc patet area, tercentum paſſus longa, triente minus lata: à ſiniſtrâ rotunda *Græcorum* eccleſiola, quam conſentiens fama olim ſacrarium *Sanctæ Sophiæ* fuiſſe tradit, nunc Armamentarium, adhuc exſtat; à dextrâ continuò procurrit noſocomium, quo ex interioribus *Palatii* deferuntur valetudinarii. Ad ſecundam portam, quæ in aliud atrium ducit, de equis deſcenditur. Nemo enim, niſi pedeſter, præter *Imperatorem*, illud ingredi poteſt; mihi hic omnia placuêre, ordo, magnificentia, pulchritudo. Quadrangulum enim eſt, ſingulis lateribus ad bis centum paſſus extenſis, quæ undequaque ambit porticus plumbo tecta, ſeptem circitèr paſſus ampla, in fornices columnis è marmore *Thebaico* ſuffultos pari intervallo diviſa, quarum baſes & prominentiæ ſupra ſcapum æneis circulis colligantur. Variis platanorum

cupressorúmque ordinibus distribuuntur ambulacra, in quorum medio fons eminet, placido murmure aquas ebulliens. In atrii extremitate à lævâ *Judicatorium* est, *Divan Turcicé*, quod *Vizirius* primarius, vel si abesse contigerit, *Caymacamus urbis gubernator* quatèr singulis hebdomadibus adit, magno militum & apparitorum numero stipatus. *Kadiliskirios* aliósque in enodandis juris difficultatibus versatissimos *Assessores* habet, quorum suffragiis & consilio in caussis, cognitionibus, postulationibus, libellísque examinandis usus, quamlibetcunque litem formalitèr citra appellationis remedium statuit decernitq;. Camera duobus fornicibus innitens pavimento sternitur marmoreo, ad libellam cum areâ ferè complanato; scamno paulò elevatiori, quod extremo parieti affigitur, imminet fenestra, ubi *Imperator*, quandocunque ipsi lubet, a nemine conspectus sedet, de re aliquâ penitiùs cogniturus.

De

De alienis negotiis(uti id obiter & quasi loco non suo hic annotatum habeas) non sunt adeò soliciti *Turcæ*, ut ea curent, unde neminem foro adesse moris est, nisi quem lites huc trahant, nec permittunt Judices, ut quispiam otiosus intersit. Hos enim tanquam exploratores & nequiter curiosos abigunt. Quosdã *Francos* illic stare ante paucos annos vidit pro tribunali sedens *Vizirius*, de ipsorum postulationibus interrogat, *se solâ videndi gratiâ illic intrâsse* respondent; quibus ille excandescens, *Putatisne nos esse simias, ut huc spectatum veniatis?* Expelluntur protinùs, & parum aberat, quin singuli in curiositatis suæ pœnam fustuario mulctarentur. Quo de ejusmodi periculis mihi caverem, simulatam litem *Judæò* cuidam *Smyrnensi* intentandam curavi; ideo audaculus accessi cum interprete nostro primario, illud fictitium meum jus expetiturus. Postulationi, quam æquissimam fingebamus;

mus, faciles & fine morâ annuebant. Quo artificio ipsos elusimus, quod nobis non pluris constitit, quam centum circiter aspris Actuario pro more ob chartam obsignatam datis. In aliis *Palatii* appendicibus describendis non est, quod *Te* morer. Quicquid ultra portam tertiam continetur, *Christianos* latet. Quod extra apparet, licet id non sit architectonicis regulis prorsus congruum, magnificum videtur, pinnaculis deauratis turribusque fastigiatis illustre. In clivo montis decurrit ingens ædium à mari facilè spectandarum ordo, hortique longo tractu protensi litori objacent. Sed de his hactenus; cætera enim quæ prudens omisi, a plerisque scriptoribus facilè petenda sunt.

Quo mercatoribus cæterisque advenis, qui qualicunque de causâ *urbem* petunt, meliùs subveniatur, iis recipiendis, cum id humanitatis, & officii alitèr à privatis hominibus frustrà

ſtrà ſit expectandum, paſſim exſtruuntur in plateis inſignioribus publica hoſpitia, ad uſum magis quam ad pompam, quo ſe divertere poſſint. Nemo ab his, quoſcunque religionis ritus colat, excluditur. Nomina autem à *conditoribus*, vel à peculiari *mercium*, puta *ſerici*, *oryzæ*, &c. quibus tanquam in apothecis reponuntur, genere ſortiuntur; è quibus duo cæteris antecellere videntur: alterum ab *Imperatoris*, qui hodiè imperii *Turcici* habenas moderatur, matre propè *Moſcheam* ſuam ad ſinum, alterum à *Kupriulio Vizirii hodierni* parente in *Taouk bazar*, ſeu *gallinæ foro*, conditum. Omnium eadem forma eſt, idémque uſus. E ſaxo cæſo plerunque conduntur; aream mediam, quæ in quadrum extenditur, non raro occupat *Moſchea* una cum fonticulis; anguſtis cubiculis tota, etiam in inferiore parte ambitur, cum in antiquioribus totus ambitus ſub eodem tecto ſine tabulatis & parietibus interge-

tergerinis pateat. A primo aditu ſaxeis utrinque ſcalis aſcenditur in porticum, parem cubiculorum numerum à latere habentem, quæ ab extremo ad extremum circumcirca pertingit.

His proximè cedit *forum* ingens; quod *Bezeſten* dicitur, figuræ quadratæ. Hic linteum, pannus, ſtragula, pelles *Zybellinæ*, cæteræque quantivis pretii merces veneunt: muris clauditur ſaxeis, atrium officinis ſibi invicem, modico intervallo, quo itur, relicto, oppoſitis intercluditur. Hoc autem *Pruſiano* amplitudine & ornatu longè inferius mihi videbatur.

Cum mundities, quam aſſidua lotura expoſcit, ſit præcipua pars religionis *Mohammedicæ*, nec minus valetudini firmandæ in his regionibus conducat, balneis publicis plebi, hic, uti in quavis urbe celebriori, hac ex parte benefit. Materia autem ex quâ conſtant, utpote marmorea, figuráque

guráque, quâ supra vilissimas ædes in tholum assurgunt; illis non parum nitoris & ornamenti conciliant. In exteriori atrio, spoliario nimirum, quod opertum est, fontem circumambit murus lateritius storeis stratus, quo vestes loturi exuunt; inde per angustum vestibulum ad amplam cameram transeundum est, quam ob tholum sphæricam dixerim, nisi quod in varios sinuetur & excurrat angulos, in quibus tanquam in recessibus excavantur sedilia. Quamprimum accesseris, non nisi cum difficultate respirandum est, spiritu calidis aquæ hypocausti per siphunculos immissæ halitibus penè oppresso; qui adeò crassè exspirant, ut à tecti fastigio, ne penitùs avolent, impediti, reflectantur, & densiores facti, guttatìm decidant. . . . .

De præfinito *Moschearum*, quæ singulis ferè plateis *urbis* locisque circumjacentibus occurrunt, numero certò non mihi constat; in assignan-

dis rerum, ut solâ conjecturâ fit, quæ simul confusæ oculis obversantur, numeris sæpe excessu erratur. Quod nescio an mihi ex parte contigerit, dum vulgarem calculum, quem jam reductum habes, in superioribus epistolis apposuerim. De iis autem, quæ ab *Imperatoribus* conditæ, ob amplitudinem capacitatemque nuncupantur *Giameler*,(cũ *Mesgid* sit nomen generale, quod *locum sacri cultus & adorationis* denotat, & minora quæq; *oratoria* & *sacella* comprehendit) maximè gloriantur *Turcæ*. Horum laudibus decantandis strenuè incumbunt, qui religioni tam splendido apparatu ingentibusque sumptibus consuluerint. Hinc mentis erga cultum *Mohammedicum* zelus ardorque apud ipsos emicat; hinc rei militaris prosper eventus indicatur, cum a multis annis invaluerit,id nemini, nisi, qui cum *Christianis* aliisque *Turcici* nominis hostibus bellum feliciter confecerint, permissum iri. Ita *Imperatoribus*

peratoribus à *Muphtio* aliiſque ſuæ religionis myſtis ſubdolè perſuaſum eſt, ut odium, quod contra *Chriſtianos* alunt, hoc famæ ſtimulo magis acueretur. Imperium novæ provinciæ auctario ampliandum eſt, ereptis urbibus & propugnaculis *Chriſtianorum*; fines ipſius extendendi, antequam quiſpiã *novum templum* ſe moliri poſſe ſperet, ſpoliorum utpote pretio condendum, dotandumque reditibus è terris, quæ forte belli in peculium nupèr ceſſêre. His *regiis* fabricis maximè ſuperbit *Conſtantinopolis*, harumque magnificentiæ præcipuam gloriam, quam hodiè jactat, acceptam refert. Eminùs conſpiciuntur, ſitæ ſuper montes in dorſum promontorii projectos, qui licet non rectà procurrant, tamen curvaturam ingens illa altitudo tantoperè imminuere videtur, ut non obſtet quo minùs celeri oculo aliquis eos percurrat.

Templa autem hæc *regia* numerantur octo, quorum ordo hic eſt.

Aia Sophia, sanctæ Sophiæ templum; hoc enim nomen; quod primo inditum erat, hodie retinetur.

Achmetis, in *Hippodromo* in planitie ejusdem montis situm.

Bayazidis.

Suleimani, prope vetus *palatium Imperatorium.*

Shahzadeh seu *filii Imperatoris*, quod in memoriam filii primogeniti *Mohammedis*, quem e *Roxolana* natum *Magnesiæque* præfectum in summo juventæ ardore illic exstinctum maximo affectu etiam mortuum prosequebatur, exstrui curavit idem *Suleimanus.*

Mohammedis, qui *urbem* debellavit. Templum olim *Christianum*, *Apostolorum* memoriæ dicatum, quo quam plurimi è *Græcis Imperatoribus* sepulti jacent.

Selimi, patris *Suleimani*, qui *Mamlucorum* imperio everso exstinctoque *Ægyptum* subjugum misit.

Denique aliud *Mohammedis* templum, quod *Phatih* i. *expugnatoris* peculiari nomine nuncupant, (ad discri-

men

men hujus ab altero) olim *beatissimæ virgini* consecratum, quod *Gennadio Scholario* in *Patriarchîum* post expugnationem *urbis* ab ipso concessum, pòst levi prætextu ereptum suo nomine insigniri placuit.

S. *Sophiæ* templum, quo sæpius ingredi contigerit, eo magis magisque obstupescendum ob mirabilem ipsius architecturam videbatur. Artis penè miraculum ipsiusque maximum conatum meritò dixerim hoc *Justiniani Imperatoris* opus, quod ex elegantissimo *Procopii Cæsariensis* de *ædificiis* illius libro neutiquam quoad ambitum imminutum videtur, prout aliqui nescio quibus conjecturis inducti id sibi persuasum voluêre. Quali autem formâ hodiè visendum sit, licet parùm accuratè & mathematicè, juxta *ideam*, quam frequenti visu in mente meâ conceperam, hic brevissimè exhibebo. Ante *Templum* porticus magnifica totam ipsius latitudinem a *Borea* ad *Austrum* metitur: huic adi-

tum præbet ab extremorum alterutro porta ex ære inciso opere curiosè elaborata; in illius autem, quæ regiam collis viam propiùs spectat, valvis variis circellis anni ἀπὸ κτίσεως five ab *orbe condito* juxta computum, qui non minus ac *æra Dominica* apud *Græcos* olim invaluerit, inciduntur: quorum numerus mihi penitùs excidit è memoriâ. In latere opposito quinque exstant portæ crassiusculis fulgidissimi æris laminis obtectæ, in navem ducentes. Tota longitudo templi est centum ferè viginti passuum, amplitudo verò duplo paulo minor. Fabricam arcubus innitentem tres ordines columnarum, quarum bases & epistylia spiris æreis circùmcinguntur, suffulciunt, non unius speciei & coloris; hinc enim marmor *Ophiticum*, illinc *Porphyreticum*, alicubi *Alabastrites* oculos astrinxerunt perculeruntque. In medio in ingentem altitudinem erigitur *Hemisphærium* quod columnæ quatuor ad *septentrio-*

nes

nes duæ, duæ ad *Austrum* sustinent. Ingentem verò hunc tholum plures ejusdem formæ minusculi ambiunt, alii aliis superiores. Exporriguntur utrinq; sacella seu ædiculæ, figuræ oblongæ, quas varius columnarum ordo multiplexque dispositio efficiunt. Per cochleam saxeam molliter surgentem, quam quasi in tot gradus eminentiæ instar strigarum transversim extuberantes dividunt, ascenditur in superiorem porticum tria templi latera implentem. Ad *Orientem* enim utrinque terminatur. Illa pulcherrimis quoque columnis, licet non ejusdem crassitiei cum inferioribus, ornatur, viginti meos passus lata, oppositis lateribus in eandem, qaam habet inferior templi pars, longitudinem extensis. Inde liber in templum subjectum despectus, fœminis olim, cum sacris officiis interessent, has sedes, uti videtur, occupantibus, seorsim nimirum a viris, quod apud *Græcos* hodieque obtinet,

mentum tum quod templi ſolum, tum quod porticum tegit, marmoreum eſt, non in fragmenta minora ſed laminas menſaſque amplas diductum. Parietes è lateribus coctis ab omni parte marmore incruſtantur. Laquearium concamerationes olim ornarunt curioſæ figuræ, opere *Muſivo*, quod è concinno teſſellarum calculorumque ordine componitur, factæ, hodiè deformatæ, *Turcis* ex innato imaginum odio, quo in ipſas debacchari ſolent, illarum oculos eruentibus vultumque deturpantibus; è reliquiis autem, cum tota litura non inducatur, operis artificium & pulchritudinem contemplari licet, deque hiſtoriis ſacris, quas exhibent, cuipiam paulò accuratiori obtutu in ipſas intuenti veram facere conjecturam difficile non erit.

Templi *Sophiani* formam, cum ob pompam & nitorem, tum ob amplitudinem, quam figura exhibet, *Turcis* perplacuiſſe hinc conſtat, quod ad illius

illius modulum alia erigenda curaverint: à quorum minutiori descriptione, etiamsi hâc de causâ mihi supersedendum sit, pauca tamen de magnificis præclarissimísque *Moscheis*, quæ *Suleimani* & *Achmetis* nominibus insigniuntur, annotare non pigebit.

In medio, quo *illius* templum circumcluditur, atrio eminet peramplus fons, desupèr obtectus, figuræ quadræ, opere curioso elaboratus. Porticum ornant columnæ, pavimentum verò ejus lamina (si fas sit dicere) *Porphyretica* instar mensæ strata & diducta. Tholum suffulciunt quatuor ejusdem marmoris columnæ, quarum scapus, ubi maximè tumet, viginti circitèr pedes in ambitu complectitur, *Christianæ Ecclesiæ* spolium, non enim eo usque altùm assurgit *Turcarum* ingenium, ut de tali artificio gloriari possit.

In *hujus* templum duodecim gradibus saxeis ascenditur, fores aheneæ mirâ arte inciduntur: quatuor testudinis

ſtudinis arcubus, uti in aliis, totidem ingentes columnæ ſupponuntur. Illæ autem planè factitiæ ſunt, utpote non è nativo marmore è lapidicina eruto cæſóque, ſed artiś fuſoriæ beneficio conflatæ & coagmentatæ. Harum ambitus viginti circitèr ſex paſſus continet, quod circumeunti conſtabat: neque enim alio modo eum metiri auſus ſum, ne *Turcis* in rimando hoc templo nimiùm & malè curioſus viderer. *Jeni* i.e. *novum* hodieque audit, appellatione apud vulgus longo uſu inveteratâ, licet pulcherrimum & admodum celebre templum ad ſinum juxta portam *hortulariam Imperatoris*, qui hodie regnat, matris, gente *Ruſſæ*, & ſacerdotis filiæ ſumptibus ante paucos annos conditum fuerit. Quæ hic cum cæteris *Regiis* communia ſint, paucis deſcribam.

Pluribus portis itur ad atrium; muro ſaxeo ampli circuitus circundatum; propè adſunt fontes vel aquæductus minores longo ſiphonum ordine

dine diſtincti ad uſus ſacros; nemo enim illotus,cui religio curæ & cordi eſt, precabitur. A latere *Xenodochia* & porticus arcuatim exſtructæ, eminentibus earundem ſphærulis, quæ plumbo tectæ rectâ lineâ extenduntur: turres cylindraceæ inſtar columnarum ſunt quatuor, (excepto illo *Achmetico*, quo ſex numerantur) è quibus populum de ſacro cultu peragendo monent, adque templum altâ voce, immiſſis in aures digitis,ne clamore iſto incondito terebrentur, invitant ſacerdotum miniſtri. Hæ ædibus contiguæ in ſolo profundiùs figuntur, quarum in oppoſitis angulis ſitus quadrum efficit. Unamquamque triplex quaſi podium, cujus aditus objacet *Meccæ*,circumambit. Summitates turrium auro depictæ inſtar Pyramidum faſtigiatìm deſinunt, quibus ſupereminet lunæ falcatæ ejuſdem coloris figura, quo *Mohammedanorum* inſigni quælibet ſacra ædicula ſuperbit. Templorum parietes inter-

dum

dum *Dei*, interdum *Mohammedis* ejusque *sociorum* nominibus, interdum formulâ illâ, quæ *fidei* apud ipsos summam comprehendit, inscribuntur. Ingens lychnorum pensilium è chrystallo numerus ferreis circulis affigitur, qui solâ nocte accenduntur, quo tempore lumen ab arcubus & columnis plurimum reflectitur, ut totum illud quod interius est ignescere videatur.

Propè visuntur ædiculæ (*Turbeh*) ejusdem muri ambitu conclusæ, *fundatorum* reconditoria; nemo enim apud *Turcas* in templis sepelitur, ne *Imperatores* quidem. Fiunt è marmore candido, inque parte inferiori in figuram polygonam excurrunt, at supra in tholum desinunt. Parietes quandoq; omni ornatu nudi sunt, non rarò autem emblemate vermiculato constant. Intervallum illud, quo sandapilæ marmoreæ, quinque pedum altitudine, supra pavimentum storeis vel tapetibus stratum exstant, cancellis

cellis ferreis roſtratis circumambitur, duobus ingentibus cereis in candelabris illic affixis. Sepulchralia capula *Imperatorum*, corporibus inclusis longè ampliora, panno ſericeo coloris plerumque ſpiſſiùs virentis, cui aurum intexitur, præcipuè in fimbriis, teguntur, tiaris, quas ſingulis annis novis appoſitis tollunt in extremo paulò elevatiori altero, cui ſubjiciuntur capita ſupereminentibus. Fœminæ juxtà cubant, harum capula minora quidem & depreſſiora veſtis purpuracea aut hiacinthina obtendit ſuperſternitque. Liberorum eodem ſepto circumcluduntur loculi, pro ratione ætatis variæ magnitudinis. Quotquot ex filiis juſſu fratrum pro barbaro & iniquiſſimo more, quo imperium, quod ineunt, ſibi ſecurius diutiuſque retineant, faucibus à fidiculis eliſis enecabantur, circa colla ſudariolum præcipitatæ & funeſtæ mortis indicium gerunt. Hæc ſacella, ſacerdotes pau-

paupereſque eleemoſynarii tum viri tum fœminæ, pro animabus eorum; reditibus in illos fines collatis, ex inſtituto quotidie oratum adeunt. Hujusmodi plures ædiculæ ſepulchrales S. *Sophiæ* templi latera ferè contingunt; illic ſepultus *Selimus* filius *Suleimani* cum triginta ſeptem liberis ſtipatus; illic *Amurates tertius*, ſed cùm numeroſiore prole: è liberis enim, quos ſuſtulit, quadraginta quinque juxtà ſepeliuntur; illic *Mohammedes* quoque *tertius*; illic *Muſtapha* & *Ibrahimus*, hodierni *Imperatoris* ille propatruus, hic parens, pari fato ad imperium evecti, ſed exemplo rariori, pari quoque eo exuti, vitâ & morte perquam ſimiles, uterque fatuus & inſulſus, uterque paritèr tantæ dignitati impar, ſub eodem contumulantur tecto: uti non longè a templo *Achmetis*, quem patrem habuêre, duo fratres *Oſmanus* & *Amurates* illius nominis poſtremus, ambo bellicoſi *Imperatores*, qui militiam

degenerem

degenerem ac otio & luxurie corruptam ad veteris diſciplinæ normam reductam cupiêre, ille autem ſeditione & tumultu *Janazariorum*, quibus ob expeditionem *Polonicam* malè geſtam adeò acritèr infenſus erat, ut de iis exterminandis ac univerſim delendis animo ſecum ſtatuiſſet, hic morte repentinâ, quam adſcivit crapula, cui ſe nimiùm indulſerat, præventus.

Præcipuè verò matris *Mohammedis*, cognomento *Magni*, *Lazari Serviæ* Principis filiæ ſepulchrum inviſendi ardor & dèſiderium me inceſſit. Illa enim fidem *Chriſtianam*, quâ educata erat, ad mortem uſq; conſtantiſſimè & religioſiſſimè retinuit, nullis mariti, nullis filii blanditiis expugnabilis: cujus fama adhuc in *Turcarum* memoriis etiamnùm viget, ut dum prope *Mohammedis expugnatoris* templum hîc illic verſatus, de eo adeundo ſolicitus eſſem, quamplurimi eorum, qui fortè aderant, illam eſſe *Chriſtianam*
aperto

aperto ore non rogati dixerint, ipsius sacellum digito indicantes. Quod planè inornatum reperi: ab hoc abhorrent *Turcæ*, pauperes autem *Christiani* statis temporibus frequentes adeunt, quibus pro more eleemosynæ suppeditantur.

Bassæ intra pomœria urbis suis in fundis, quos emerant, subinde sepeliuntur; licet hoc perrarò fiat, & iis solis honori & gratiæ datum est in memoriam virtutis bellicosæ, consiliorum, & munificentiæ, qui de Imperio præclarissimè meriti fuerint: è quorum numero duo mihi in memoriam, dum hæc scribo, occurrunt; Illustris ille & strenuus vir *Ibrahimus Bassa*, cujus laudes in *Annalibus Turcicis* efferuntur, & *Kupriulius* non ita pridem *Visirius* supremus, cui filius *Achmetes*, exemplo prorsus anteà inaudito, in administrandâ rerum summâ successit, quos Imperii *Turcici* statores meritò dixeris, sepultus ille prope *Suleimaniam*, hic è regione *Moschea*,

quam

quam condidit in *gallinæ foro*. In *suburbiis* verò ad *Occidentem* quamplurima aliorum magnatum sacella exstruuntur, quorum magnificentiæ densi cupressorum, quæ intersеruntur, ordines pulchritudinem & nitorem abundè conciliant. Ante omnia illic eminet *Ejubi Sultani*, qui apud *Turcas* ob insignem pietatis famam maximo in honore est, sepulchrum; de cujus zelo & operâ, quam in religione propagandâ defendendâque impendit, quamplurima fingunt fabulis ineptissimisque anicularum nugis quam vero longè propiora. Unus è signiferis *Mohammedis*, ut supra innui, ab aliquibus creditus est, ab universis *Propheta* & *Martyr*, cujus cadaver, post expugnatam *urbem*, hic humatum terrâ effossâ non sine miraculo detectum fuisse pertendunt: hinc illa veneratio, quam ipsi impendiò exhibent, ortum ducit: hinc magnificus ille tumulus *Moscheaque* cognominis. Eodem autem loci vel sal-

tem proximè, ſacellum *ſancti Mamantis* olim memoriæ dedicatum fuiſſe è *Procopio* certiſſimum eſt.

Adjacet atrium periſtylio ornatum, in cujus medio exſurgit ſuperba moles, quam novus *Imperator* adit boni ominis gratiâ, quaſi hujus venerandi loci aſpectus zelum pro eâdem fide animoſiùs pugnandi inderet, per gladii cincturam, aſſiſtentè *Muphtio*, inaugurandus.

Ex inſtituto vitam ſimul agere tenentur *Janizarii*, nullis bellis eos foras evocantibus, ut ſeditione ortâ, vel quæcunque alia occaſio tulerit, quam citiſſimè conglobati arma ſub iiſdem vexillis capeſſant; quibus recipiendis duo ampla ædificia (*Odaler*) deſignantur; non longe à ſe invicem diſſita. Continent autem longum pulchrumque ædicularum ordinem, quarum latuſcula teſſerulæ argillaceæ vario colore tinctæ ornant, pavimentum ſaxis cæſis ſternitur; utrinque ſub imbricamento, quod longiuſculè protenditur,

tenditur, ſedes, in quarum extremitatibus pilæ æneæ affiguntur, prominent. Ab his abeſſe cuilibet ferè, ſi libet, licet, conniventibus *Præfectis* & muneribus corruptis; diu enim eſt, ex quo, ſenſim obrepentibus otio & luxurie, vetus diſciplinæ militaris rigor exoluerit, militibus jam artibus manuariis, quo ſibi familiiſque ſuis meliùs proſpectum ſit, addictis. In horum medio adjacet templum *Orta Giame*(quod nomen ſonat) *Janizariis* peculiare, ubi etiam urgente aliquâ imperii neceſſitate in communi ab iiſdem conſulitur.

Quæ de propugnaculo in extremo *urbis* angulo verſus *Propontidem*, quod a *ſeptem turrium* numero nomen habet, ſuperiùs relata ſunt, non opus habeo repetitum. Carcerem magnificum dixerim, cui uſui hodiè inſervit, licet enim præſidiarios in ſe milites recipiat, nulla tormenta, nullumve bellicum apparatum, quantum vidi, habet. Quod partim ſocordiæ,

partim securitati *Turcarum* imputandum videtur, qui in his regionibus altâ pace fruentes arces contra quamlibet machinationem hostilem de facili muniendas turpissimè negligunt. In horto sub dio *Husaini*, cognomento *Delli* i. *insani* seu *furibundi* ob acres animos & ferociam, quam in bello ostentaverat, supremi *Janizariorum Praefecti* eminet sepulchrum, qui jussu *Vizirii Candiae* strangulatus periit. Ita viro forti, quem invidia sustulit, magnificè parentatum est.

Anxius quaesivi basilicas, theatra, porticus, horrea, thermas, tribunalia, ecclesias, quibus haec Imperii sedes olim eminuit, sed irrito planè labore. Inde mirari primùm subiit, è tot monumentis, quae è *Roma* caeterisque *Italiae* civitatibus transtulerat *Constantinus*, augendae *urbis* gloriae quammaximè intentus, aliique erexerant *Imperatores*, non plura superesse. Dum vero temporis, quod vel saxa comminuit, edacitatem, dum *urbem* dirissimis

dirissimis terræ motibus ab antiquo obnoxiam fuisse, dum denique *Turcas* in eam non minus ac in cives sæviisse penitiùs animadverterem, de paucis his veteris magnificentiæ reliquiis, quæ, licet pene omnes mutilæ & laceræ, *Turcis* barbariem meritò exprobrant, & temporis fatique spolium & triumphus non esse videntur, *urbi* gratulabar.

Circus seu *Hippodromus* (*Turcicè Atmidan*) ob spatium largius exporrectum explicatumque non sine mirificâ oculorum delectatione adhuc visitur, longus utpote ultra quingentos quinquaginta passus, plusquam vero centum viginti latus. In ipsius extremo columna hodiè exstat, quasi stadii meta, sed illa incendii vim passa rimas agit. Integer autem exstat *Obeliscus*, è marmore *Thebæo*, ob animalium figuras ab *Ægyptiis*, qui hujusmodi involucris Philosophiæ & religionis arcana & mysteria (quantilla, & quam tantis ambagibus indigna!)

luerant, lateribus insculptas, à nostris *columna Hieroglyphica* dictus. Quadrus est, basi ejusdem figuræ impositus, latera efficiunt totidem triangula, quæ quo magis elevantur, eo fiunt contractiora, usque dum in conum desinant. Moles ingens est, & qnod mirère, quoad se totam absque aliquâ partium ferruminatione integra, ut in eâ, cum olim humi dejecta jaceret, super stylobaten iterum reponendâ non parum sibi gloriæ inde derivandum duxerit *Theodosius Imperator*, ut testatur duplex Epigraphe, in *Occidentali* latere *Græca*, in *Orientali Latina*, quasi ipse solus hoc tum moliri tum perficere potuisset. Sua mole deprimitur *Obeliscus* subtus terram, ut inscriptiones in infimâ parte incisas perlegere non sit integrum; cum verò in omni ferè itinerario *Constantinopolitano* exstent, quidni hic etiam apponam? quas dum expeditè legebam, pro fatuitate & inscitiâ suâ obstupuerunt *Turcæ*, qui

aderant,

aderant, & qualem haberent ſenſum, ſolicitiores facti, cum à me intellexiſſent, de re ipſis penitùs antea ignotâ ſibi præter morem gentis ſuæ gratulari viſi ſunt.

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΩ ΕΠΙΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΕΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ.

Difficilis quondam dominis parere ſerenis
Juſſus, & extinctis palmam portare tyrannis.
Omnia Theodoſio cedunt ſubolique perenni
Ter denis ſic.... ectus duobuſque diebus
Judice ſub Proclo ſublime elatus ad auras.

In eodem *circo* propè exſtat *columna ſerpentina* ex ære concavo & tortili facta : ad extremum autem illius ſcapi tria colla capitaque paribus intervallis inter ſe diſſociata quaſi exſiliunt inque modum trianguli emicant. Hanc olim ab aliquo mago (fortè *Apollonio Tyanenſi*, quem *By-*

tii aliquantillum mansisse constat) sub peculiari siderum aspectu, quò meliùs à serpentum noxis infestationibusque hâc cognatâ imagine urbs muniretur, prout sentiebat credula nimis antiquitas, elaboratam fuisse a verisimili parùm abludit.

Columna Constantiniana in *gallinæ foro* adhuc eminet, sed ne tota compages rimis fatiscat inque terram labatur, ejus commissuras æneï orbiculi constringunt. In scapo enim sunt octo saxa porphyretica, sibi invicem commissa, quorum crustæ ab incendiis nigricant & exeduntur.

In *foro mulierum* (*Aurat bazar*) alia columna exstat, quæ loco editiori posita, navigantibus in *Propontide* eminùs conspicitur. In tot tantisque sæculorum retro actorum decursorúmque vicissitudinibus mutilationem quoque passa est hæc ingens olimque magnifica moles, quæ ad centum quadraginta præterpropter pedum altitudinem assurgens, quadraginta duos

in

in perimetro circumplectitur. Per cochleam intùs ad summũ ascenditur. Illic cælaturâ non admodum artifici figuræ prominent, quæ belli apparatum résque ab *Arcadio Imperatore* gestas, quarum memoriam, famæ ad posteros usque propagandæ cupidissimus ille qui fecit, hic exstare voluit, oculis exhibere videntur, quod hactenus consentiente omnium famâ creditum est. Inde apud *Francos columnæ historicæ* nòmen.

In occidentali *urbis* regione, quæ parvo à sinu intervallo mœnia ferè attingit, Palatii cujusdam rudera supersunt, quod *Constantini* à *Græcis* nuncupatur, an primi conditoris, an illius infelicissimi, qui matrem nomine *Helenam* quoque habuit, *Græcorum Imperatorum* ultimus, & in ipsâ *urbis* expugnatione à fugiente catervatim plebe in portâ, ut quibusdam placet, dum ipse fugam parabat, oppressus periit, planè ignoratur, à *Turcis Tekir Serai* nomine priori à *Græco* κύριος, uti mihi

mihi videtur, corrupto. Visuntur adhuc in infima parte camera angusta marmoreis columnis curiosè elaboratis ornata; in supremâ ingens aula, quam *Basilicam* meritò dixerim. De cæteris autem appendicibus, cum ruinis totæ oppleantur, ne relinquitur quidem conjectandi locus.

Ne *urbs* tantæ amplitudinis, mari imminens, aquâ, quæ potui aliisque usibus inserviat, destitueretur, ab *Imperatore Valentiniano* cautum erat, qui non minùs splendori & magnificentiæ ipsius, quam commoditati consulens, eam *aquæductuum* beneficio octodecim plus minùs milliarium intervallo, per varios anfractus inflexionesque viarum illic derivandam deducendamque curaverit. Hos tum vetustate tum turpi *Græcorum* negligentiâ ferè collapsos de integro superiori sæculo, ingenti sumptu restituit *Suleimanus*, qui ob res in bello præclarè confectas, tum ob admirandam hanc fabricam aliasque, quas molitus est, apud

apud omnes meritò audit *magnificus.* Non procul à *Belgrado* noſtro verſus mare manant hæ aquæ è ſcatebris, inde partim per tubulos ſubter terram hinc illinc cæmento firmiſſimè cohærentes conjunctoſque, partim per anguſtos canales effoſſos lenè fluentes, in variis receptaculis coeunt. In illis calidis regionibus, ne id omittam, naturæ beneficam manum in profundendis aquarum laticibus gratulantur incolæ, cum earundem beneficium per totum vitæ curriculum quàm maximè ſentiant. Hinc putei, fontes, ciſternæ ferè ubivis proſtant, ut omnibus hâc ex parte ſubveniatur & benefiat. Propè ut plurimùm adſtat ampla quædam camera, pavimentum habens tabulatum, quæ pyramidis ad inſtar verticem faſtigiatum oſtentat. Hanc generali nomine *Kiosk* appellant; huc ſe recipiunt *Turcæ* flagrantibus anni æſtibus laxamenti & oblectationis gratiâ: in his amœnitatibus ſub arborum ambula-

cris

cris integros dies noctesque aliquando manent, & convivia læti agitant, eo potissimum fine, ut refrigerantis auræ ventilationibus fruantur. Quisq; sibi regnare videtur, dum his deliciis gaudet. Talis quoad figuram ædicula, sed structuræ longè operosioris, intra sinum *Imperatoris palatio* adjacet, cujus laquear curiosè incisum pictumque pulchrè exsurgit, parietesque tessellis variegatis ornantur, pavimento tapetibus *Persicis* obtecto. Cætera auro & quam maximè divite apparatu splendent. Quo tempore D. *Legatus Hortulanorum præfectũ* (*Bostangi bashi*) magnæ apud *Turcas* authoritatis, qui omnibus *Agiamoglanis* præest, inviseret, hanc subire nobis permissum erat. Inde quando hortos trans *Bosporum* in litore *Asiatico* invisere Imperatori libet, in actuariam, quam clavo assidens semper regit idem *Hortulanorum præfectus* itur. A latere *Palatii*, quod alluit *Propontis*, ferè in medio alia eminet,

unius;

unius, quæ altùm è terra elevatur, contignationis, à *Sinano Baßâ* condita, quam tum ob proſpectum, tum ob auræ, quam vapores marini tempore æſtivo agitati ſuppeditant, commoditatem, *Imperator*, ſi urbi adſit, ſubinde aſcendit. Sed ad ciſternas quibus aquæ colliguntur redeo. Non unius ſunt figuræ, quadras enim, rotundas, oblongas, polygonas paſſim intueri eſt: è cæſo lapide fiunt, variæ pro diverſâ earum ratione profunditatis latitudiniſque: in fundum gypſo vel lapide ſtratum per ſcalas commodè deſcenditur. Harum duæ ſunt pulcherrimæ eodem penè à *Belgrado* intervallo, ad mille nimirum paſſus, ad *Orientem* altera, altera ad *Auſtroafricum*, ubi veſpere ſpatiari ſolebamus. Ab hâc ad primum aquæductum prope viculum *Purgos* deferuntur aquæ. Hic autem & cæteri, qui in viciniâ ſunt, vici à *Chriſtianis* habitantur, quibus à pendendo ære capitario hâc de cauſâ immunibus, curæ eſt, ne

ſtanget

ſtagnet aqua, ne extra ſuos alveos exundet, ne denique quocunque modo oppleatur, quo minùs liberè fluat. Hæc ſaxea moles perquàm magnifica in longitudinem maximè omnium excurrit, duobus fornicum alterius alteri impoſitorum ordinibus ſuffulta; quinquaginta autem numero ſunt, ſi benè memini. Ad imum vallis inter montes, quos jungit, interjacentis à ſummâ parte, quâ alveus utrinque inſtar projecturæ obtegitur, centum circiter pedum altitudo eſt. Propè & in conſpectu alia grandis ſubſtructio, quæ in angulum curvatur, triplici fornicum ſerie munita. Ab altero latere in ſupremâ ſerie viginti duo arcus eminent, paris cum priori ad imum profunditatis: excavantur autem illic duæ porticus, quinque circiter pedes latæ, partim ab utriſque lateribus clauſæ, partim apertæ, quarum intercapedo duodecim pedum arcum ſuperiorem efficit, quibus, cum per lutum & ſtagnantes aquas in val-

le.

le subtùs depressâ neutiquam transeundum sit, hic tutò & de facili itur, equis manu quoque ductis. Ab alterò autem quod longè minus est, duodecim exstant fornices, qui pro variâ terræ declivitate diminuuntur. Hinc ad aliud aquarum confluvium. Ad mille passus tertia moles distat, quæ licet infrà tantùm quatuor habeat arcus sólúmque duplicem seriem, tamen ob eorundem amplitudinem quinquaginta pedes excedentem splendidissima & maximè magnifica mihi videbatur. Eandem fabricaturam magnificentiámq; præ se ferunt *aquæductus*, qui in *urbe* sunt. Inde ad varias ipsius regiones ingenti civium beneficio per tubos aqua diffunditur.

De *Græcorum* ecclesiis in *urbe* adhuc durantibus, quæ *Christianam* religionem, licèt à pervicacibus *Mohammedicæ* superstitionis cultoribus horrendum in modum & gravissimè afflictam, non penitùs victam triumphatámque testantur, non est quod longùm

Te morer; de quibus aliisque cognatis & ejusdem argumenti fortè longè commodior tractandi futura est oportunitas; cùm de ipsorum ritibus cæremoniisque sacris agatur. Viginti sex in *urbis* ambitu conclusæ numerantur, sex *Galatæ*, quæ olim juxta veterẽ notitiam decimam tertiã & decimam quartam regionem constituebat, numero pari tam in *novâ* quam *veteri Româ*. *Galatam* versus *Aquilonem* ab *urbe* sinus, trajectu parvis cymbis perquam facilis, quatuor ferè stadia amplus, quadraginta longus abjungit, qui tantæ est profunditatis in extremo litore, ut navium onerariarum, etiam grandium, proræ telluri impendeant, pluribus orgyiis jactâ bolide a puppe relictis; tantæ quoque securitatis, ut à ventorum marisque violentiâ nihil hic damni vel naviculæ patiantur; horum vim montes undique circumjecti frangunt, illius verò promontoria, ut, quo tempore à *Borea* impetuosiùs propellitur, in hoc inter-

intermedio freto non eo usque pertingat. Extrà furentibus spumantibúsq; aquis, ingens hîc ubivis est tranquillitas. Ad *occidentem* navale longâ camerarum arcuatim exstructarum, quæ juxta litus disponuntur, serie constat, ubi fidissima triremium statio, quas in aridam trahunt.

Galata, si ambitum & munitiones spectes, urbis speciem præ se meritò fert ostendítque. Mœnibus enim validissimis ab *Anastasio Imperatore* conditis, quibus turres imminent, circumcluditur: versus terram prætenditur profunda fossa. A latere montis, qui oppositis *Constantinopolitanis* altior esse videtur, longè excurrit, ingenti à summo ad imum declivitate, ut cuiquam planè cavendum sit, ne alicubi præceps pronúsque ruat. Adhuc quorundam nobilium *Genuensium*, quorum sub ditione erat, declinante & ad destinatam fatalemque periodum vergente *Græcorum* imperio, insignia gentilitia hinc illinc insculp-

ta visuntur. Extra muros tam in litore quam in dorso, nimirum *Peræ*, (hoc generali nomine, quod totius regionis situm respectu *urbis* denotat, jam peculiariter restricto) ac alibi longè latéque habitatur. Sed de adjacentium locorum, cum nihil in se habeant eximii, nominibus in præsens de industriâ abstineo, ad finem scriptiunculæ hujus, quam in nimiam prolixitatem excrevisse sentio, properaturus.

Ex hâc imperfectâ & breviculâ *Constantinopoleos* notitiâ quantillum antiqui splendoris & magnificentiæ hodie supersit, & quam nihil penè de ipsius veteribus monumentis relinquatur, *Tibi* satis liquebit; utpote quæ tantarum ab incendiis, terræmotibus, novísque dominis, quibus aliæ res magis curæ sunt, mutationum vices subiit, ut si modo magnus ille *Constantinus*, si cæteri *Imperatores*, qui hanc *urbem*, olim vere *augustam*, palatiis, molibus giganteis, obeliscis, colossis, basilicis,


basilicis,columnis,templis,porticibus nymphæis aquarúmque castellis,circis,statuis,arcubúsque triumphalibus, (ærario tantis sumptibus penè exhausto) junctis peritissimorum Artificum mechanicorúmq; à quavis mundi plagâ operis, excultissimam ac omnibus numeris absolutam effecerint, vitâ demum redditâ ad terras remearent, de oculorum fide, quererentur, & se in alienâ urbe,non suâ,versari crederent. Ab hujusmodi autem ruinis ubivis in oculos incurrentibus, quæ urbes iisdem fati legibus subjici, tandémque interire & quasi mori testantur,humanæ fragilitatis mortalitatísque solatium petendum esse, quod aliqui volunt, à genio & indole humanâ, ad quam à naturâ apti compositíque sumus, penitùs alienum ab ineunte ætate intimis medullis usque fixum est, quibus potius ingemiscendum mihi videtur, cùm non temerè, non casu fiant, sed ab irato *numine* inducantur. Justissimus ille simul &

maximè misericors *Deus* harum vicissitudinum longè alium usum futurum esse voluit, tum ut quorum tristia fata infelicémque catastrophen non sine horrore contemplari, nedum præsentes intueri possumus, ab eorundẽ luxu,à flagitiosâ & deside vitâ, & à sacrorum neglectu & contemptu abstineamus, tum ut dum pro continuâ rerum incertitudine,quâ mundus hic periturus urgetur premitúrque, imperia intestinis dissidiis, barbarorum hostium invasionibus,& mole interdum suâ fatiscere, *urbes* everti, & omnia susque deque ferri meminerimus, aliò mentem,aliò oculos convertentes, ad beatissimas *cælorum* sedes æternùm duraturas,quas nulla ætas concutiet, nulla delebit vicissitudo, irrequieti anhelemus.

Sed tua tempora,*Vir Excellentissime*, qui in alienis oris paci instaurandæ magno *Christiani orbis* beneficio intentus, rem *Patriæ tuæ* strenuè & feliciter sustines gerisque, non jam

amplius

amplius morabor. Macte esto *virtute tuâ* & *honore*, cui hæc *illustris Legatio* præludit, quam omnes, qui tuam sine fuco pietatem, eruditionem reconditam, ingentes perquamq; liberales, quos fecisti, in augendo quo educatus eras *Collegio*, sumptus, (additâ nimirùm pulcherrimâ & magnificâ novorum ædificiorum appendice) de *viris Ecclesiasticis* benè merendi studium promptissimum & alacre, tuum denique ingenium subbactumque judicium rebus quam maximè arduis capiendis, iisque facilè expediendis aptissimum norunt, (quis verò per universam *Angliam* tantus hospes est, ut ea non norit?) *Tibi* ex intimo pectore gratulantur, nemo autem magis quam Ipse.



E collegio B. Mariæ Magdalenæ Oxon. Julii 5. A. Chr. M. DC. LXXIII.

E. V. omni mancupio & nexu addictissimus.

T. S.

جامعلر *Giameler.* 98.
جبالي *Gebali.* 87.
جبن علي *Giob ali.* 87.
چتلادي *Chatladi.* 85.
تاوق بازار *Taouk bazar.* 95.
تربه *Turbeh.* 108
تقير سراي *Tekir Serai.* 121
تقيه *Tekyah.* 58.
تورات *Teurat.* 61.
تمور لنك *Timûr lenk.* 50.
حضرت *Hazret.* 61. 62.
داود *Daoud.* 61.
داود باشا *Daoud basha.* 85.
درت كتاب حقيحون *Dortkitab hek itehin.* 61.
دلّي *Delli.* 116
ديوان *Divan.* 92.
زبور *Zabur.* 61.

Zindan

INDEX.

زندان *Zindan.* 88.

ساماتيه *Samathia* 85.

سراي *Serai.* 88.

سليوري *Selivre.* 86.

شاهزاده *Shahzadeh.* 100.

شربت *Sherbet.* 37.

صواب *Seweb,* 53.

طاري *Dare.* 37.

طوپ *Top.* 86.

عرض *Arz.* 45.

عورت بازار *Aurat bazar.* 120.

عيسي *Iſai.* 61.

فاتح *Phatih.* 100.

فنار *Phanar.* 87.

قاضي كوي *Kadikui.* 77.

قاپوجيلر *Kapogiler.* 90.

قدس *Kuds.* 63.

قدس شريف *Kuds Sherif.* 63.

Kuds

INDEX.

قدس مبارك *Kuds mubarek.* 63.

قران *Koran.* 61.

قره دكز *Karah deniz.* 4. 76.

قوم *Kum.* 85.

كوشك *Kiosk.* 123.

مسجد *Mesgid.* 98.

موسي *Musai.* 61.

داراي *Narli.* 85.

واللة *Vallah.* 59.

يدي قلة *Jedi kola.* 18. 86.

يزير بازار *Jezir bazar.* 5.

يكي *Jeni.* 85. 86.

يكي حصار *Jeni hisar.* 74.

يمش *Jemish.* 88.

ERRATA

In prioribus Epistolis p. 19. l. 14. pro *in quâ* lege prope quam in eodem ambitu p. 113. p. 15. fortè reponi debet, ΝΕΡΟΤΙΑΣ p. 147. l. 4. *aliqua*.

In posterioribus Epistolis p. 2. l. 23. l. *traxerit*. p. 22. l. 13. *Cyclades*. p. 78. l. 12. *Notozephyrum*.